

Gn̄t̄s *fini en̄s*

THEOLOGIA CATHOLICA

Indifferentem , & alium
quemvis Errantem ad unicam fidem
salvificam , & veram cum Romana Chri-
sti Ecclesia pacem manducens.

Magnificentissimis Honoribus
ILLUSTRISSIMI DOMINI
DOMINI

SAMUELIS VEST,
Excelsi Regij Gubernij Transylvanicj
Actualis Intimi Consiliarij. &c. &c.

Dominum

In Alma, ac Regio-Princip. S. J. Academia
Claudiopolitana, Universitate Phil. positiones.
Nob., ac Eruditus Dominus Daniel Lámsz-
ki AA. LL. & Philosophiae Baccalaureus,
ac pro suprema ejusdem Laurea candidatus
publice defenderet.

Pro Res ActS I D E

R. P. ANDREA PATAIè S. J. AA.
LL. & Phil. Doct. ejusdémq; Profes. emer.

Dominum ConIcaConA

Anno MDCC. X X XII.

42

LAUDIOPOLO Typis Academicis Societatis JESU
per Simonem Thaddaeum Weichenberg. 1732.

2795





ILLUSTRISSIME DOMINE, DOMINE PATRONE GRATIOSISSIME.

ET si modestia singularis, quâ libellum hunc Il-
lustrissimo Nomi*n*i tuo inscribi veruisti, me
primùm ab eo, quod facio, prope dimoverit; ca-
dem tamen altius considerata animum permovit,
allexitque meum, ut quò ipsa latere mallet, hoc
magis à me proposito insidente prædicaretur. Ea
quippe virtus publica omnium luce dignissima
semper visa est, qua suò contenta testimoniò, quod
aliunde emendicaret, haberet nihil. Sed tam-
etsi modestie tua parere voluisse, ista rāmen

sa-

sapientia, quā non modo in tota inclyta Natione
Saxonica cunctis enines, sed in ipso Cœlo Dacico
velut quoddam Sydus Illustrissimum effulges, non-
ne postulare videbatur, ut nunc primū vul-
ganda hac Theologia Catholica pars in Tuo potissimum
nomine appareret? Quæ si exultissimō iudicio
Tuō probaretur, certò futurū considere posse-
mus, aliis quoque probatum iri. Imò incredibilis
ardor animi Tui, studiumque Religionis au-
vitæ, nimirum Catholica in Dacia postliminio re-
stituendæ jure etiam suo exigebat, & à me flagi-
tabat, ut eam Tibi pro qualicunque solatio dica-
tam velle. Angeris enim quam maxime, &
hac dies, noctesque curâ ageris, ut quemadmo-
dum Ipse DEI benignitate haustos cum lacte er-
rores posuisti, & veritatem Religionis Catholi-
ca amplexus es, ita ceteri Cives saluberrimō e-
xemplō Tuō, & suō maximō quia eternō emolu-
mentō id ipsum facerent. Hortaris ad hec, nun-
cupatisimisque votis obtestaris, quoscunque in-
geniō, & doctrinâ valere cernis, ut totis facul-
tatum suarum nervis ad dissipandum novorum
dogmatum chaos, & ad evolvendam Catholica ve-
ritatis lucē incumbant. Imitaris nempe DEUM,
sincerè volens omnes salvos fieri, & ad agniti-
onem veritatis venire. Quocirca quis non vi-
deat, aquum ac par fuisse, tali ut viro relu-
ctante licet ipsius modestiâ hocce opusculum, quod
omnium novorum dogmatum pestilens caput, vi-

delicet Adiaphoria conquaſſatur, dicaretur? Erit enim, ut quicunque hoc animo ſincero, & ſalutis ſue cupido volutaverit, affulgenti celeſti lu- mine penitus intelligat unicam eſſe ſalvificam Re- ligionem Catholicam Romanam, neq; poſſe extra eam quemquam ſibi felicitatem eternam poſſice- ri, tametsi civiliter honestam, immo & Religionis ſue a Catholica aliena dogmatis congruentem vitam agat. Quod Tu ILLUSTRISSIME Domine, quod Ego, quod hujus opusculi Author, & boni omnes ex intimo corde deſideramus, & infimis à DEO fidei datore precibus poſtulare non deſinimus. Be- nigno itaque, hilarique vultu, hoc qualecun- que opusculum accipe, & nomen tuum ILLUSTRIS- SIMUM ab eo preferri ſustine: ut idem hoc paſte & testis ſit, tui in omnium ſalutem ſtudij non vulgaris, & obſes meæ erga tuum nomen ob- ſervantie ſempiterna. Vale.

ILLUSTRISSIMÆ Dominationis Tuæ

Humilius Servus

DANIEL LAMSZKI.

THESES EX UNIVERSA
PHILOSOPHIA.

1. Logica est scientia purè practica, ad alias scientias in statu perfecto acquirendas solùm moraliter necessaria. 2. Ejus objectum materiale sunt operationes mentis: formale earum rectitudo passiva. 3. Attributionis operatio recta complectens primam, secundam, & tertiam. 4. Identitas consistit in summa communicatiōne: Distinctio realis in extremis distinctis. 5. Scotica: Virtualis intrinseca: & præcisio objectiva implicant. 6. Universale datur solùm per intellectum. 7. Non manet in actuali prædicatione de termino singulari. 8. Ratio Individui potest abstrahi ab omnibus Individuis. 9. Ens, & ejus differentiæ mutuò præscindunt. 10. Præter extrinsecam possibilium possibilitatem, quæ est omnipotentia DEI, datur etiam possibilitas intrinseca. 11. Relatio tam prædicamentalis, quam transcendentialis consistit in fundamento, termino, & ratione fundandi. 12. Veritas est semiextrinseca actui. 13. Propositio contingenter

ter vera potest successivè mutari in falsam,
& vicissim. 14. Datur determinata veritas,
vel falsitas de futuris contingentibus.
15. Assensus præmissarum necessitat ad
Conclusionem. 16. Potest idem actus es-
se scientia, & opinio radicaliter formidans.
17. Materia prima est ingenerabilis, &
incorruptibilis. 18. Appetit formas no-
biliores præ ignobilioribus. 19. Potest
divinitus spoliari omni forma substantiali.
20. Ejus sic spoliatæ conservatio effet na-
turalis. 21. Nequit duplici forma totali
informari, nisi supernaturaliter. 22. Non
datur forma corporeitatis, uti nec formæ
partiales substanciales. 23. Danturmodi.
24. Modus ad modum non repugnat 25.
Totum non distinguitur à partibus simul
sumptis. 26. Potest etiam naturaliter i-
dem producij duplici actione totali. 27.
A se ipso autem etiam quò ad secundum es-
se nec supernaturaliter. 28. Actio in di-
stans dari potest absolute. 29. Accidens
nec inadæquate producit substancialm. 30.
Potest elevari quidlibet ad quodlibet; non
tamen creatura ad creandum. 31. DEUS ad
omnes effectus creatos concurrit immedi-
atè

atè. 32. Connectitur essentialiter cum pos-
sibilitate creaturarum. 33. Determinat
ad Individuum effectūs, non tamen physi-
cè prædeterminat. 34. Possibilis est pene-
tratio, & replicatio, ubicatio indivisi-
bilis. 35. Repugnat infinitum categoric-
maticum creatum. 36. Et mundus ab æ-
terno. 37. Continuum componitur ex
partibus actu indivisibilibus finitis, poten-
tiâ autem divisibilibus in infinitum. 38.
Astra moventur solum directivè ab Ange-
lis. 39. Terminus naturâ suâ creabilis,
nec divinitus potest educi. 40. Simile
non agit in simile. 41. Intensio fit per ad-
ditionem graduum homogeneorum. 42.
Raritas habetur per majorem subjecti ex-
tensionem, densitas contra per minorem.
43. Elementa manent solum virtualiter in
mixtis. 44. Omnia corpora sublunaria
sunt gravia. 45. Gravia gravitant in locis
propriis. 46. Potest dari aliquando quies
in puncto reflexionis. 47. Anima homi-
nis est spiritualis, & immortalis. 48. Bru-
torum est divisibilis in partes homogeneas.
49. Non datur successio animarum. 50.
Demonstrabilis est à posteriori existentia Dei.

Cui. LAUS, HONOR, & GLORIA.



P A R S I I.
IN HAC EXPONITUR,
ET
PROPRIE IMPUGNATUR
ADIAPHORIA.

Perstringuntur generatim
Sectæ Romanis adversæ.

Fides demum Romanorum divi-
na, atque ad salutem unicè neces-
saria ostenditur.

C A P U T I.

*Commentitia credendorum in
essentiales, & accidentales articulo-
rum distinctio explicatur.*

115. **V**iderunt, nì fallor, Cassander,
Seranus, Jacobus Garden,
aliique placitorum Lutheri.

Calvini, Arij, &c. vanitatem: verbi DEI speciem præferre pleraque: hominum re ipsa commenta, fabulásque esse pene palpârunt. Idoneis rationibus persuaderi non posse didicere suo periculo. Severitatem contrà Romanorum horruerant. Jejunia, continentiam, pœnitentiam post admissa peccata, obligationem compensandi illata injustè damna odere. Neces sitas obedjendi Ecclesiæ, reverentia erga Clerum, in supremum diem conjugum insolubile matrimonij vinculum vehemen ter displicuit aspirantibus ad licentiam vi tæ. Mahometis autem & Puëtij senten tiam, quòd ad salutem æternam divina fi des non sit necessaria probare non potuerunt; Quandoquidem *testimonia DEI credibilia facta sunt nimis*, & iis refragari absque gravi Divinæ Majestatis offensione, atque adeò citra jaëturam amicitiæ cum DEO, sinè qua spem beatæ immortalita tis habere nequimus, nemo hominum homo non videt. Quod capite secundo, tertio, quinto, & sexto, paucis quidem, luculentè tamen comprobatum est.

116. Ergo ne tetricam, ut voluptatum fascino illigati putant, severitatem Romanorum sponte induant, & conscientiam, errores, ac pericula animi, in quibus versantur, acri cum objurgatione identidem ponentem ob oculos placent, persuadere voluerunt, ad parandas cœlestes gazas esse satis, si credantur, quæ plerisque sectis communia sunt, & cum licentia vitæ satis cohærcere posse videntur. Unde præter fidem unius DEI, plurium aliorum, non tamen omnium, quæ divinitus revelata sunt, fidem, esse ad salutem necessariam docent. Articulos Christianæ fidei in *essentiales*, & *accidentales*, seu prout ipsi interpretantur in *fundamentales*, *substantiales*, *necessarios*; & in *accessorios*, *incertosque partiuntur*. In *essentialibus* numerant DEI Unitatem quoad *essentiam*, Trinitatem quoad *personas*, nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, incarnationem DEI Filij, passionem in assumpta carne, & mortem pro salute humani generis, providentiam in remuneratione virtutum, & vindicta sce-

Ierumi, dein contenta in symbolo Apostolorum, quæque suus cuique spiritus inspiraverit, hoc est, si candidè loqui volent, quæ genio cuiusvis arriserint, & cupiditatibus non plus aduersentur, quam carnis intersit. Cætera, quæ perinde à DEO revelata feruntur, pro incertis, accessoriisque habent. Priorum fidem ad beatam immortalitatem requirunt in omnibus. Sinè illa negant quemquam salutem consequi posse. Posteriora si credamus non prodesse magnopere, si non credamus, sed discredamus, non obesse, estò ab Ecclesia sufficienter proponantur. Tam credentes, quam non credentes similia ex æquo salvari posse ajunt.

117. Essentiales articulos fundamentum divinæ fidei vocant, quod cum patitur labem vel minutorem, fidem divinam illico vitiari, interire, de salute animi conclamatum ajunt. Accidentales seu retineantur, seu abjiciantur divinæ fidei fundamentum inconcussum, substantiam integrum, sinceramque persistare posse jaçtant. Ut in physicis siue continuum

ex partibus sine fine divisibilibus formaliter cum Aristotele , sive ex punctis finitis omnimode indivisibilibus cum Zenone componi tueare , nihil commodi ad salutem , neque incommodi addamnationem animi pertinentis percipies , aut subibis : ita in Eucharistia sive esse , sive non esse Corpus Christi credas , sanctos in Cœlo , gloriâ , & honore à DEO coronatos , sive venerandos , sive contemnendos putas , nihil inde ad felicitatis , aut miseriæ æternæ incrementum accedere posse statuunt.

118. Horum secta non malè à Græcis adiaphoria , hoc est indifferentia credendi , assēclæ adiaphori , hoc est indifferentes ad credendum quidlibet vocantur . Latinis adiaphoria castigatiūs fortassis dici posset libertas , aut licentia quidvis credendi ; adiaphori contrà profitentes , ex quo à reliquis discernuntur , dogma , nihil credendum esse ex obligatione præter pauca , tum sinceris Christi fidelibus , tum maximis Christi adversariis , pestilentissimis hæreticis communia . Unde consequitur istos haud magnis ex causis , quæ hodie credunt ,

cras inficiari, adversaque profiteri paratos, & quoties occasio fert, ut ocreas, caligásque sèpiùs aliis commutamus, in dogmata inveteratis contraria, si inquietis malè feriatorum hominum ingenii in controversiam trahantur, transire haud difficiles. Consequitur deinde nullius omnino fidei Christiano populo cognitæ eos esse. Neque enim Lutherani, Calviniani, Unitarij, Anabaptistæ, &c. quoad nonnulla dogmata dissidentes à Romanis citra periculum damnationis æternæ liberum eadem credere, vel repudiare existimant, docentque. Si enim sic existimarent, docerentque, sinè justa causa tot in Imperio, & Hungaria, Galliáque religionis causâ bella subditî suo Imperatori, & Regibus intulissent; tot exercituum clade gesto novos summa cum temeritate milites scripsissent, & discrimini objecissent; sinè mente florentissimas Urbes everti, Provincias vastari permisissent. Nulla enim potest esse causa, sed insania, barbariésque maxima cicer tanto malo bella, ut profitearis, negesvè, quæ sive neges, sive profite-

sicutare, salus æterna animi in tuto est, & è temporaneis commodis nihil interedit præter exiguum voluptatem è licentia vitæ promanantem.

CAPUT II.

*Nulos hodie Lutheranos,
nulos Calvinianos, nulos Unitarios,
plerosque omnes, si Romanos excipias,
esse adiaphoros.*

119. **C**redo hac ætate, extra Romanos, plerisque omnes, demptis paucis, esse & prognatarum in Europa per ducentos annos sectarum Principes fuisse adiaphoros. Quidam disertè id factentur: ut Mar. Ant. de Dominis, Roterdamus, Calixtus, Ochonus, & totius agminis Dux Zeno Imperator. Laudata à Theodoro Beza inter Zwingium, Occolampodium, & Lutherum arcta amicitia, & à se, & à Luthero non parum, nec minutis in placitis dissidentes, quid nisi persuasionem Bezæ in nullo quidquam ad fidem

Salutarem desiderari significat? Diplomaticæ auctores historiæ equidem Evangelicos ferebant sese, cùm Religionem Evangelicam justo volumine tuendam suscep-
 rint, attamen è nullius minus, ac istius Religionis; contrà ex adiaphoriæ institu-
 tis maximè propriè vixerunt. Imò, si iis fides, Religio Evangelica est adiaphoria. In proloquo sumptâ typotetæ personâ non jam Lutheranos, & Zwinglianos, ut quon-
 dam, sed Evangelicos omnes, & Romanos inter se fratres, & amicos volunt esse; qui instinctu charitatis mutuò oppugnare dog-
 mata recepta nequeant ob periculum ge-
 heñæ, in quo versantur, queis nulla, aut vitia-
 ta fides est; sed sola cupiditate augendi Re-
 gnum Papæ, ac odio proximi. Pag. 30. num.
 14. instituto Ethnicorum furentes, ac id-
 circo reprehensione d'gnos nihilo minus,
 ac Ethnicos ajunt, qui iisdem secū ablutos a-
 quis salutaribus, DEUM unum ac trinum,
 sacras literas, formulas fidei profitentes
 oppugnant, proscriptosque volunt nisi
 mentem mutent. Nullam omnino in fun-
 damento fidei, in solis exterioribus ceri-
 moniis

moniis manantem è Philosophia Aristote-
lis non magni momenti differentiam inter
se, ac nos constituunt. Pag. 2. Religionis
Evangelicæ cunas in Ungaria repetunt ab
Hussitarum occulto ingressu, encomia or-
diuntur à suppliciis in fontes decretis, estò
præter fundamentales, ut vocant, Arti-
culos reliqua Hussitis, & Evangelicis non
sint communia, sed adversa dogmata. Exi-
stiment ergo sine divinæ fidei jactura quem-
vis de reliquis arbitrari posse, ut libet.

120. Notissimum quoque est, cùm
à Lutheranis, tum à Calvinianis, & Uni-
tariis, si quæratur, qui eorum Majores,
ut prudens statuere queat, quòd à Christo
& Apostolis, Apostolorumve Discipulis
didicerint, quæ ex sententia Christi cre-
denda hodie fidelibus proponunt, nomi-
nari damnatæ ab universis Christianis me-
moriæ hæreticos Berengarium, Walden-
ses &c. quibuscum quemadmodum in pau-
cis consentiunt, ità in multis dissentunt.
Cur ità? non aliam profectò ob rem, ac
quòd nihil reserre censem, sive consen-
tiant, sive dissentiant in aliis, dum in fun-

damentalibus conspirant in idem. Nuper hisce auribus audij negantem inter Evangelicos (si per superos ita compellare quemquam licet) Wicleffistas, Hussitas, Waldenses, Albigenses &c. aliud esse discriminem, ac quod iidem sectarij diversis temporibus, ac Provinciis diversa nomina sint sortiti. Per contabar ex bono viro, num Evangelici cum Albigensibus duo credant rerū principia: unum bonum, alterum malum, Christum nec DEUM, nec hominem verum confiteantur? Utrum cum Waldensibus judicium sanguinis omnibus interdicant ex lege divina? An cum Wicleffistis, & Hussitis nullum venerentur Dominum civilem, dum est in peccato mortali; fas putent, ut populares, Dominos delinquentes, ad suum arbitrium, corrigant; juramenta, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus, & commercia civilia, sint iis illicita? si hæc minimè credant addebamre, non solo nomine discriminari Evangelicos ab Hussitis, Waldensibus &c. oportere; aut ne quidem inter Mahumetanos, & Evangelicos majus quam solius nominis discriminem esse. Si enim

Evan-

Evangelicorum Waldensium &c. secta sit eadem, quod perinde hi ac illi aduersentur Romanij Pontificis potestati, & quædam alia habeant communia, tametsi in pluribus dissideant, nil apparet, car Mahumetorum, ac Evangelicorum germen non censemus idem, cum pariter nihilo minus Mahumetani, quam Evangelici contemptui habeant Romanum Papam, probis præmia, improbis supplicia in altera vita esse expectanda, omnia necessitate, nil libera voluntate geri ab hominibus, aliquaque credant, licet Evangelici à Mahumetanis præterea dissideant. Non habuit, quod reponat. Consensum in dogmata fundamentalia memoravit, qui inter Evangelicos, & Mahumetanos desideratur. Atque id erat, quod ex viro ad præsens propositum conatus sum extundere; non eum Reformatum esse Evangelicum, qualcm se ferrebat, sed adiaphorum.

121. Si moribus recentiorum astimemus, quod dixi, res certa est. Communibus consilijs, ac viribus sacra Lutherani, Calviniani &c. tuentur, ac propagant

gant; lucra, & damna usque adeò omnium
 censent eadem, ut nihil unis evenire optent
 commodi, quod aliqua ratione molestum
 sit alijs ; Imò nè acceptaturos quidem se
 spondeant unquam quidquā id genus emo-
 lumenti, & diversæ à sua Religionis cla-
 dem, undevis oriatur, velut pestem om-
 nibus imminentem Sacramento juris jurandi
 etiam adversus Principes propulsaturos se
 esse promittant. Nunquam Calviniani
 fidei causâ laceffunt Lutheranos. Ne po-
 strema quidem cura est Lutheranis, ut in Lu-
 theri castra pertrahant Calvinianos, Unitar-
 iosvè. Nunquam auditum est, ut id o-
 ptent. Non Lutheranos, non Calvinia-
 nos, Unitariosvè miseret fratrum diver-
 sam à sua Religione sectantium, quòd in
 æternæ damnationis periculo versentur,
 quamvis fremant, bella Principibus de-
 nuntient, cædes spirent, vastitatem Pro-
 vinciis minitentur, si quid cuivis non Ro-
 mano per Magistratus non liceat, quod li-
 bet, credere. Laborant Lutherani, non
 mīnūs, ac si foci, aræque domesticæ peri-
 clitarentur, confessim Calvinianorum pecu-
 niæ,

niæ, exercitus ad defensionem sunt præstò. Pœnas rapinarum, crudelitatisque in Romanos Turonij dependunt, injuria Religionis creditur, quæ Prussis non possit non dolere. Templa per vim, & perduellionem errepta, ac centum annos adversus repetita decreta legitimi Principis, & Republicæ Polonæ usurpata tandem veteribus Dominis reddere coguntur, scelus est, cuius ultio ad Calvinianos prussos pertineat. Lutheranis æquè ac Calvinianis, protector sacrorum in Germania est Prussus Calvinianus, paucos ante annos erat Dux Saxonijæ Lutheranus. Et quid non? Lutherani in Dacia Archi-Episcopum venerabantur Principem Apaffium perinde non Lutheranum, ac non Mahumetanum. Nimirum, par erat, ut è divis Calvinianis tam sacræ Religioni legeretur antistes. Quid nî sanctis illius ritibus conservandis haud ineptos arbitremur Sacerdotes è Mahumetanis?

122. Cùm Año M.DCC.XVII. biscentesimum Lutheranici Evangelij Germania celebraret annum, publicis vetustatem Religio-

gionis argumentis l^atitiæ Calvinus Patakini est prosecutus. Plauerunt in Licæo Musæ, Csecsius inter Magistros Princeps panegyri commune gaudium cumulavit. Religioni nō ducunt Lutherani (idem puta de Calvinianis) si in Thalamum Calviniani, aut Romani traducta, Lutherum ejuret nupta, Calvino se devoveat, aut Romana amplectatur sacra. Quid? scimus solenni decreto haud ità pridem totius in Imperio Regionis Magistros Luthericos, cùm in Augustum Lutherana peteretur, & hodie in eo Roma- na vivit, thorum, contestatos esse, fraudi non fore sponsæ, si Romanam sponsi fidem contemptis Lutheri placitis profiteatur. Hanc sententiam probârunt Serenissimi Pa- rentes sponsæ novi Evangelij etiamnum af- feclæ. Quoties audimus ætate graves, & si ex specie exteriore pronunciandum est de virtute animi, non improbos, aut etiam naturalibus virtutibus conspicuos parentes, si liberi Luthero, Calvino, Blandratæ, in quorum veneratione ipsi mori parant, haud ità magna ex causa, ac illi, qui cum professione fidei novæ domum, thorūm- que

que splendidiorem subeunt, nuncium remittant, ad castra Romanorum transeant, collaudare consilium, certò non improbare. Hi salutem charissimorum pignorum nolunt prodere, sese à Numinis ira, ab æternis suppliciis volunt arcere. Igitur nec sibi Calvini, aut Lutheri placita, nec liberis Romana dogmata fraudi, utrósque fide mysteriorum Calvino, Lutheróque cum Romanis communium salvos fore confidunt.

123. Adde maximam non inter Calvini, & Lutheri modò, sed alterutrius asseclas sentiendi de rebus divinis varietatem. Hodie multa discipuli in Magistrorum doctrina damnant. Quod nuper placuit, hodie displicet; quod sacro-sanctum habebatur plura lustra, levibus ex causis abjicitur. Quæ Christo injuria orbi persuadere magna contentione nitentur, si spes affulgeat lucelli, cùm recipi- perentur inter dogmata, uno omnes animo recipiunt, uno ore tuenda conclamat. Haud ità pridem coactis Enyedinum ad Synodum Calvini asseclis, quæsitum est;

cur

cur Romani in dies à solo exstruant, aut
 vetera instaurent templa magnis impendiis
 ad splendorem divina dignum domo, dum
 magis ac magis squalent Calviniana, ru-
 nam minitantur, collabunturque, nullo
 operari vel obulum ad labem arcendam,
 ac instauranda conferente. Causam discri-
 minis unus aliquis designavit: Romanos
 fide, quod summa ad salutem animorum
 necessitas, & grande apud DEUM precium
 sit bonorum operum, incitari ad frequen-
 tanda, cùmque inter opera bona liberali-
 tas censeatur, larga manu, tum à valen-
 tibus, tum à morituris in ædes DEO sacra-
 tas conferri facultates; Calviniani contrà,
 cùm toties pro concione audiant, nul-
 lum esse usum operum humanorum ad sa-
 lutem, quantum iis precij tribuitur, tan-
 tum detrahi meritis Christi, universa pan-
 num menstruatæ, lethiferaque peccata esse,
 plectenda gehennæ suppliciis, nisi DEUS
 nulla operum nostrorum habita ratione
 misereatur, certa cum jactura commodo-
 rum istius, nullo cum fructu alterius vitæ
 nolunt projicere æs sudoribus partum, ne n

emunt pœnitere impendiis in templo. Vix dixit, visus est acu rem tetigisse, conclamatum à Synodo dogma Lutheri & Calvini consensu, discipulorum, & posteriorum Religionem, consecratum refigatur, bona opera ad salutem necessaria, utiliaque appri- mè deinceps credantur, commenden- tur.

124. Notum est Romanis Pontifi- cibus quām sint infesti. Lutherus Episto- . las ad familiares his verbis ordiebatur: *Re- pleat vos DEUS odio Papæ Nihil in no- va doctrina famigeratum magis, ac Ro- manam Cathedram Antichristi, qui inde im- perant, reguntque Ecclesiam, Antichristos esse. Quid tum? codem tempore Enye- dini disquirebatur, num moderni ab Hel- vetica confessione Magistri aliqua in re dis- cesserint.* Placuit, ut clara voce, Hel- vetica legatur confessio. Audito, quòd Damasi Papæ fidem probet, præcipiatque, ut Christi fideles eam profiteantur, quid facimus, exclamavit aliquis, cæteri præcun- tem secuti sunt: Damasus Romanorum Pontificum unus est; hos Antichristos,

nuncupamus, fidem nihilominus Damascum Helvetis profiteamur? satis id erat, ut dogma de Antichristo retractarent, & ne quis Romanorum Antistitem vocitare ausit Antichristum, severè vetarent. Testem istius rei habeo nunc sincerè Romanum, tunc solo nomine Calvinianum Magistrum, è Patribus Concilij unum, qui cum cæteris, adjecto canonibus nomine, istos præcipue probavit. Non damno hæc scita, sed sciscendi levitatem. **Quin** opto, ut quod sciverunt, ad unguem exquantur.

125. Calvinianorum Claudiopoli Magistros perlatum ad me est, haud cunctanter, vel timidè, sed alacriter, palam, dissentè fateri, sibi quidem ut DEUM trinum in personis, unum in essentia; DEUM filium simul hominem pro nostris delictis passum, firma fide credant, vehementer curæ, cordique esse; de ceteris credendis haud se admodum esse sollicitos, aut alios cupere anxious; satis cuivis ad beatitudinem fore præsidij in fide unius, & trini DEI, ac Christi pro genere humano passi. Sunt ta-

men quidam , aut quod non sunt , videri ambiunt , qui ad effugiendam Synodi Enyediensis , ac meliorum indignationem , vocet tenus præter fidem requirunt bona opera ad salutem . Enyedienses ne discedant à Calvin & Majoribus , discedere à patria Synodo , inficiarique cuiusvis rei à fide diversæ usum ad beatitudinem malunt . Eapropter ad conserendas manus adire Claudiopolitanos amant .

126. Quod nuper Claudiopolis accidisse narrabatur , facit ad præsens propositum , si verum sit . Rogabatur Calvinianus pastor , ut operam det subducendo pœnæ , qui plebejo usitatâ cœnobitis , in signum animi humana fastidientis formâ , comam attundit , ut cachinnis vulgi Religionem Romanorum objiciat . Piguerit laboris , an inutilem crediderit pastor , nescio . Ut sollicitus rei , patronus , ac reus ipse voti damnentur , pro opera consilium præbuit . Censere se ajebat , è re santis fore , si celeriter Calvinum ejuret , & Romano Papæ jurandum dicat : Offensoes , hac ad se accessione , Papæ clientes facile placatum iri .

Tum ut exequeretur alacriter, quod certò sciret profore hortabatur. Non lubet curiosius indagare ex animi sententia, an factè id consilij suggesserit. Utrum elegeris Calviniana pastoris fides vehementer laborat. Nequit Calvino esse devotus, sed adiaphorus, nisi impium feceris, ne ammittas Calvinianum. Si enim ex animi sententia locutum dixeris, nil suâ, nil rei referre censuit, ut potiatur æterna animi salute, propugnet, nec ne, cum Calvinianis alia, præter communia Romanis dogmata. Sin vero factè malis locutum, non est arbitratus tam improbum deserendæ Calvinianæ sectæ consilium, quam improbum fatemur omnes, ac re ipsa est, consilium deserendæ Religionis sine qua placere Deo; & amplectendæ alterius, quacum DEI iram, ac gehennam effugere, est impossibile. Si enim tam improbum illud consilium est arbitratus, cum ipsum improbissimum esse oportet, qui in re ad salutem necessaria Magister discipulo ita imposuerit, & Calvinianam fidem, quam credidit salutarem,

turpiter prodendo, fidem omnem sciens, ac volens amiserit.

127. Si è decem singillatim quæras, quid credendum, in quibus dissident à Romanis, duos non reperias consentientes. Si cui dubia loqui videar, contando rem exploret, eventus probabit à me stare veritatem. Cassoviæ unus aliquis è decrepito, si ità loqui licet, Curione Lutheranorum, tum ex juniori decrepiti adjutore in dictionibus ad plebem, quæsivit vivum, an mortuum sub speciebus panis in Eucharistia Corpus Christi delitescat. Vetus mortuum, junior vivum reposuit. Res est testatissima tum publicâ quærcenis narratione è suggestu, dum scissiones inter Luthericos commemoraret, tum rixis, quæ inde diuturnæ sunt consecutæ, inter vetulum, & juvenem. Neque enim vetulo unquam satisfieri potuit, quantumcunque juvenis mendacij in tanta re metu se se prohibitum diceret, ne sententiam prævam probando, honori senis iret consultum. Id tamen fatendum ingenuè est, in reprehendenda continentia, commendando pro-

miscuo ciborum cſu, irridendis jejuniis,
& afflictione carnis esse admodum con-
ſentientes.

128. In reliquis nec consentire, nec
ſeſe mutuò reprehendere valent, quidquid
dicant, credantque. Litem Romanæ Ec-
clesiæ de ſacris literis, de eorum ſenſu ex-
citârunt. In hac Judicem repudiârunt
venerandam antiquitatem. Consenſum in
explicandis Doctorum ante nos defere-
runt. Ecclesiæ auctoritatem ſinè errore
explicandarum abjurârunt. Arbitrari par-
foreret hæc facta, quod errori obnoxiam mi-
nus quam decisiones Ecclesiæ regulam intel-
ligendi verba Spiritus S. repererint, aut fe-
liciori, quam SS. PP. & ad Concilia coa-
cti Doctores ingenio ad legendas, confe-
rendasque inter ſe ſcripturas acceſſerint.
At longè evenit aliter. Quemadmodum
superioribus temporibus falsam, decep-
tamque eſſe, ita hoc ævo fallere, ac fal-
li poſſe Ecclesiā, ſeu Calvinianā, ſeu Lu-
theranā, aliaye ſit, ſe ipſos SS. Patribus longè
inferiores ingenio, errorēque lapsos fa-
tentur ingenuè. Ob ſenſum, quem è ſcrip-
turis

turis ipsi colligunt, ob spiritum, ac genium legentibus biblia, infundi, ut ajunt, solitum, ab interpretatione Ecclesiæ, à duetu SS. PP. discedunt. Spiritum hunc si infallibilem statuant, cum omnes mortales falli, ac fallere posse dicant, se indignoscendo, quis, & qualis sit, ab erroris periculo utique neutiquam dicent remotos. Attamen idonea est illis ratio Ecclesiæ contraria stabiliendi dogmata.

129. In quo collaudanda est cura salutis, quod in alium divertant sensum, ubique errasse Ecclesiam credunt. Si hocce spiritu Magistro, eos alij errasse arbitrentur, adeoque aliter de rebus credendis statuant, parem merebuntur commendationem. Quid enim? si carpantur, dicere possunt: tu ex tuo judicio scripturas exponis, ego ex meo. Tu erroris accusas Ecclesiam, ego te. Quæ tibi fuit ratio, & auctoritas damnandi Ecclesiam, eadem te damno. Tibi Ecclesiæ labes retexit privatus spiritus, tuas idem mihi retegit. Te hæc docet dogmata, me diversa. Quod tibi licui, mihi quoque licebit. Si mihi,

quid nî & alijs? purius, veriusque tibilo-
cutum esse spiritum privatum, ac mihi,
cùm res secreta, cùm invisibilis sit, ecur
obsecro concedam? Unde consequitur ma-
nifestè, si docentem privatum spiritum le-
qui, & Ecclesiam, ac SS. PP. temnere fas
sit, quemadmodum Sectarij fas esse, imò,
ut id faciamus, gravem adesse obligationem
jaçtant, tot pene Religiones, quot homi-
nes inveniri oportere, quin ullæ sint car-
pendæ, quin existimandum unam aliquam
damno fore cuiquam. Consequitur hinc
secundò omnes non Romanos à spiritu pri-
vato adiaphoriam doceri; nullos esse Cal-
vinianos, nullos Lutheranos, Unitarios,
Pietistas nullos, sed adiaphoros universos.
Consequitur tertio diplomaticæ auctores
historiæ adiaphoriam potius, quam aliam
sectam professos, viros fuisse nullius fidei,
ut num 118 ostendimus; proinde iis, si qui
etiamdum supersunt, & Soboli talium pa-
rentū diplomaticæ historiæ parcè adhiben-
dam esse fidem, estò alia ad infirmandam de-
essent argumenta; cùm fortes crecentur for-
tibus, mendaces mendacibus. Sed erit

tempus, quod in luce meridiana lapsus illius, ne dicam mendacia, singillatim collocari requiret. Denique consequitur perswasum jam esse plurimis, quod D. Augustinus quondam hæresi septuagesima secunda sanæ mentis homini vix persuaderi censuit posse, dum scripsit: à Rhetorio quodam exortam hæresim dicit Philiaster nimis mirabilis vanitatis, que omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat, quod ita absurdum, ut mihi incredibile videatur.

CAPUT III.

Romanorum de mysteriis à DEO revelatis Doctrina.

130. **R**omana Ecclesia constanter docuit, docetque, quod fides in voto nequaquam sufficiat, sed formalis requiratur, in adultis ratione utentibus, ad salutem, ita ut illa sine hac expectetur frustra. Fides formalis est actus in materiale objectum tendens propter formale, quò

asseveramus mysterium idcirco, quod à DEO revelatum sit. Ut si credam Filium DEI humanam assumpsisse naturam, quia DEUS infinitè sapiens, ac verax assumptam esse ab eo revelavit. De hac fide præcipue, quæ Capite I. P. 1. differuimus intelligi velim. Articuli sunt alij explicitè, alij implicitè credendi. Implicitè creduntur, quæ secundum se fidelibus ignota sunt, aut minimè obversantur menti, continentur tamen in aliis, quæ distinctè credunt. Sic, inter credenda ab Ecclesia, est DEI Trinitas quoad personas. Hinc, cùm quis credit omnia generatim, quæ credenda sunt, & creduntur ab Ecclesia, Trinitatem Divinam implicitè credit, tametsi ejus distinctè non meminerit, aut etiam nescius sit. Explicitè creduntur, quæ suis sub conceptibus apprehenduntur, & distinctè asseverantur propter revelationem.

131. Porrò quidam articuli sunt formaliter fide credendi necessariò necessitate medijs; quidam necessitate præcepti. Necessariò credendi necessitate medijs dicuntur, qui sive culpabili, sive inculpabili ex causa non cre-

credantur, ad felicitatis sedes gratis aspiramus, nunquam eò eluctabimur, tametsi nulla nos culpa, neque aliud quid inde arceret. Sic credendum est, quòd DEUS existat, & operum bonorum Remunerator, malorum vindex sit. Necessariò necessitate præcepti credenda sunt, quæ scientes, ac volentes non credendo in Divinam fidem graviter offendunt, & nisi pœnitentiâ scelus expient, cœli spe excidunt, estò alio nomine à cœlo non repellerentur. Id si per invincibilem ignorantiam, aliamvè inculpabilem causam contingat, dummodo aliis culpis æterna supplicia non mereantur, salvares est, beata immortalitate non excludentur. Sic credere adstringimur omnia, quæ si non credamus, Christiani hominis officio perfungi, seu prout Christianos decet, mores componere non possumus. Quos adiaphori essentiales, ac fundamentales nostræ fidei articulos vocant, Romani necessariò necessitate medij, vel præcepti credendos esse, si salvari velimus, docent. Qui accidentiales, accessorijs, incertique sunt adiaphoris, tales esse

esse negant Romani, statuuntque à speran-
tibus non vanè salutem necessariò saltē
necessitate præcepti credendos, alios qui-
dem explicitè, alios implicitè, cùm singu-
laria mysteria credentes, generatim omnia
credunt, quæ DEUS revelavit. Qui vel
unicum ex Romanæ Ecclesiæ doctrina cre-
dendum, vocaret in dubium, articulum,
in hæreticis, æternūmque damnandis ha-
bent.

132. Hinc consequi dices, quod
Romani omnes Lutheranos, omnes Cal-
vinianos, omnes Unitarios, hæreticos
omnes æternūm credant damnatum iri.
Qua opinione quid inhumanius? Credunt
equidem, quam quod maximè. Hoc u-
num est ex articulis, quos si qui non cre-
dunt, Romanos esse pernegant. Qui vel
unicum verè Calvinianum, Lutheranumavé
salvari posse opinaretur, tametsi in cæte-
ris consentiret Romanis, nihilo, ac qui pe-
stilentissimus fingi potest, minus hæreti-
ticum ajunt. Quanta cum firmitate exi-
stentiam DEI, passionem, ac mortem Chri-
sti credi à Christiano par est, tanta flos
posse

posse salvari Romanos credendum statuunt
sinè inclemētia, sinè cujusquam injuria.
Si quando, in adversas sectas cooriantur
non adducti odio, non instincti cupidita-
te lucri id faciunt, sed excitati præsentis
periculi magnitudine, in quo prælucente
hac fide proximos versari aspiciunt cum do-
lore, ut eodem, atque ipsi sanguine DEL-
Hominis redemptos; ad eandem, atque ipsi
beatitatem conditos, in Christo Fratres, à
sempiterno interitu vindicent.

133. Audio Romanis quoque pau-
cis, rerum Divinarum imperitis, vel ex con-
sortio tot, non quæ oportet, sed quæ libet
profitentium vitiatis, vel demum datis in
reprobum sensum, & ab hæreticis solo no-
mine discretis pseudopoliticis minimè pla-
cituram hanc doctrinam, conclamaturo-
que non Romanorum id dogma, sed pro-
fectam ex arrogantia, & odio reliquorum
meam esse opinionem, verius hallucina-
tionem. Si aliorum certè horum me mi-
seret, summè conturbat perniciosa igno-
rantia. Sunt non exigua auctoritate. Pu-
blica negotia tractant, populum ex nutu

suspensum habent. Is Sanctum putat quidquid enunciant. Ut in hunc errorem Romanis quidem indignissimum, fidei Divinæ autem ante cætera, atque ad eò saluti æternæ, adversantem, incautos pertrahant, prouum est. Cui mea incerta est sententia, si hallucinari videor illa in doctrina, quam puer à genitricē cùm suæ, tum filij salutis perstudiosa, dum primam ætatem elementis pictatis informaret, didici; quam adolescenti constanter tradidere Pædagogi; in qua virum Doctorum, proborumque volumina, consensus Romanorum, & auctoritas Ecclesiæ firmavit; si in quam ea in doctrina me quispiam hallucinari arbitretur Augustinum Fulgentium Lessium Burghaber aliosque audiat, his credat.

134. D. Augustinus contra Donatistas lib. 4, cap. 8. sic loquitur: *Constituamus aliquem castum, continentem, non avarum non idolis servientem, hospitalitem indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed bæreti-*

reticum. Nulli utique dubium est propter
 hoc solum, quod hereticus est, regnum DEI
 non possessorum. Perinde clara sunt Ful-
 gentij ad Petrum Diaconum verba de fide:
 Firmissime tene, ac nullatenus dubites,
 quemlibet hereticum, sive Schismaticum,
 in nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-
 ti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicae non
 fuerit aggregatus, quantumcunque eleemo-
 synas fecerit, nullatenus posse salvari. Et
 cap. 38. Firmissime tene, & nullatenus du-
 bites non solum omnes Paganos, sed etiam
 omnes Iudeos, hereticos, atque Schisma-
 ticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præ-
 sentem finiunt vitam, in ignem æternum
 ituros, qui paratus est diabolo, & angelis
 ejus. Hos sequitur gravis Theologus
 Leonardus Lessius in consultatione cap. I.
 Hæc semper fuit Ecclesiæ fides, & omnium
 Patrum indubitata doctrina: quam omnes
 qui extra Ecclesiam versantur utinam ac-
 curatè perpenderent, viderent profecto,
 quam in periculo statu versentur. In
 eundem sensum scribit Burghaber Theo-
 logiæ Polemicæ Controversia prima. Una
 est

est tamen vera Christi Ecclesia. quæ homines salvare aeternum valeat, & hæc est sola Romana Catholica. Nos, verba sunt Joannis Barclaji, cum Sanctissima Ecclesia proclamamus, jubemusque cum Moyse hæc cœlum audire, hæc terras; nullam DEO communionem esse cum Belial; Illos puta non Romanos ita à nobis dissentire in fidei rebus, ut has frustra quæ nos manent felicitatis sedes exspectent. Par est ut omnes, sed Romani ante reliquos, hæc testimonia recipiant: at Symboli S. Athanasij testimonium his maius est: Qui cunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integrum, inviolatumque servaverit, salvus esse non poterit. Quare, monet R. P. Thrysus Gonzalez, licet relate ad præceptum positivum credendi possint distingvi articuli primarij, & quasi essentiales, & secundarij, & quasi accidentales; ut illi dicantur primarij, quos tenemur explicitè credere; illi secundarij, quos solum tenemur credere implicitè: nunquam tamen potest esse verum, quod sint aliqui articuli fidei, quos salvâ integritate

ratae fidei possimus repudiare, eisdem, ut
 falsis, dissentiendo. Item: Quamvis inter
 veritates revelabiles aliae sint digniores aliis;
 ex suppositione tamen, quod sint revela-
 tæ, & sufficienter propositæ, æquali cer-
 titudine credendæ sunt, & nulli fas est dis-
 sentire, licet non omnibus necesse sit posi-
 tivè assentire. Unde est omnino chymeri-
 cum, asserere, esse aliquos articulos fidei
 secundarios, quos liceat repudiare salvâ
 fidei integritate. Nam hoc ipso, quod sint
 articuli fidei, & taliter sint propositi, ut
 liceat illis assentiri assensu fidei supernatu-
 ralis, seu assensu summè certo, & super
 omnia, nemini fas est illis positivè dissen-
 tire, quia præceptum naturale obligat ad
 non dissentendum DEO loquenti, quando
 nobis sufficienter constat, DEUM loqui,
 quamvis præceptum naturale non obliget
 ad assentendum positivè. Accedit his in-
 gens robur ex illis verbis formulæ, quā in
 profitenda, post synodum Tridentinam fi-
 de Romani utimur: Hanc veram Catholi-
 cam fidem, extra quam nemo salvus esse
 potest, quā in presenti ponte profiteor, & ve-
 raciter teneo &c. M 135.

135. Nihilominus Romani nolunt omnium Lutheranos, Calvinianos, sese ferentium, qui passim hæretici audiunt, causam omnino esse eandem. Quidam enim plura in Calvini, Lutheri, &c. disciplina damnant, nostram collaudant, errores suos non obscurè dispiciunt, aut certè graves ob rationes à Romanis damnari non ignorant, attamen in proposito persistunt, Calvinum, Lutherum, &c. tueruntur, quòd fides Romanorum non videatur cum fortunis, voluptatibusque cohædere, & pudeat mutare consilium, aut alias ob causas. Hos formales hæreticos, quòd cum pertinacia agnitos errores tucantur, Romani appellant, & omnes æternū peccituros ajunt. Quidam nihil vitij in Lutherò, & Calvino notant, rectum, certumque, quidquid docent, persuasum habent. Iidē dū possent, ac tenerentur expendere rationes, vitia istius doctrinæ retegentes, expendere detrectarunt. Hodie dū, si repetantur, aures non advertunt, ne primæ institutionis vitio haustos errores, videre, damnaréq; cogantur. Vel deum non persuasi

svasi ratione, sed exemplis parentum hanc sectam amplexi sunt; non amore veritatis, sed temporaneorum commodorum, queis a prime favet, illam profitentur. Hos Romani perinde hæreticos, sed materiales, damnandos tamen tradunt, quia damnatis erroribus, quos ignorant, cum culpa in neglecto cognoscendæ veritatis studio commissa adhærent.

136. Quidam præcipios Romanorum articulos credunt, quia persuadentur à DEO orbi esse manifestatos, parati quovis credere, si pariter tales esse persuaderentur, plures tamen cum hæreticis non credunt, quia nunquam persvasi sunt fuisse à DEO revelatos, nec unquam id cognoscendi occasionem sunt naëti. Istud hominum genus hæretici quidem appellantur, recipia hæretici non sunt, quia liberè erroribus non adhærent, hæresis autem denotat errorum electionem, atque adeò liberam ad opiniones falsas adhesionem. Sunt itaque citra culpam errantes circa mysteria credenda, negantquè aliqua explicitè, quæ credunt implicitè, dum alia cre-

dunt cum præparatione animi ad credenda omnia explicitè, quotquot cognoverint à DEO revelata. Nihil est, cur hi salutem consequi, nequeant, dummodo in diversa ab infidelitate scelera non labantur, aut salutari pœnitentiâ expient illa, in quæ interdum prolabuntur. Paucos tamen in Lütheranis, Calvinianisvè, præcipue qui non omnino stupidi, aut indocti, & Romanis permixti sunt, reperias. Cœcum enim esse oportet, qui lucem non videt, stipiterique, si indicia veræ Ecclesiæ manifestissimè non dignoscat, tot crassos in Lutheri, & Calvini doctrina errores non palpet, quæ cuivis esse debet suspecta statim, ac uno in articulo prava comperitur. Nullo prætextu defendi potest, quisquis quoad minimum apicem falsi convictam, amplectitur in reliquis dogmatis, aut summa cum diligentia non expendit, num approbationem gravium virorum mereatur, quâ adhibitâ haud dubiè totam falsissimam compireret. Vulgaris, sed verissima est paræmia: semel in scelere repertum, centies in scelere versatum esse; cùm unius mendacij

dacij nonnemo convincitur, ne aliis quidem in rebus fidem mereri, certè ambiguam habendam.

CAPUT IV.

Credendorum in accidentales, & essentiales articulorum distinctio frivola ex dictis ostenditur.

*37. **S**I Articuli, quos accidentales non nulli vocant, sint digni creditu, & credendi idcirco quòd DEUS singulos revelaverit, perinde ac quicunque alij fundamentales, ac essentiales nuncupati, frivola manifestè est credendorum in essentiales, & accidentales articulorum distinctio. Articuli: septem sunt verè, ac propriè Sacramenta novæ legis; sub speciebus panis, & vini est verè corpus, & sanguis Christi finè pane ac vino &c. quos adiaphori vocant accidentales, sunt digni creditu perinde ac alij quicunque, quòd DEUS singulos revelaverit. Ergo credendorum in essentiales articulorum distinctio est frivola.

Propositio est & per se certa, & dictis P. r.
cap. 5. ac 6. comprobata. DEUS enim est
summa fide dignus sive abdita creato intel-
lectui mysteria, sive res leviculas, quales
quotidie sensibus percipimus, revelet. Si
liceat interdum non assentiri, quando quid-
piam manifestat, dissentiri, dum dubio
locus non est, utrum, ac quid loquatur,
nunquam licet. Uthæc persuadeantur, dis-
ceptione opus non est, absque mente sit
non homo, sed stipes, cui perswasissima nō
sunt. Quare non modò à vero, sed etiam
à specie veri alienum est inter ea, quæ di-
ci à DEO evidenter credibile est, discri-
men constituere ita, ut quibusdam assen-
tiri teneamur, reliquis assentiri, & dissen-
tiri sine periculo offendendi DEUM, & id-
circo sempiternum illius odium in igne nun-
quam extingvendo sustinendi, liberum esse
existimemus.

138. Assumptio rationibus stabili-
ri debet, & verò non difficile potest. In-
de enim omni, qui rationem non abjecit,
evidenter credibile fit, quod à DEO reve-
latum sit Christum e. g. pro nobis passum,
ac mor-

ac morte sublatum esse, quod primis quatuor à Christi in Cœlos ascensione sæculis Romani id crediderint: omnes superiorū temporum sapientes ab Apostolis Christi mortis, & Passionis sacratissimæ testibus acceptum trædiderint: quotquot sanctitate floruerunt, & divina fide Cœlum sibi aperuerunt, amicitiamque cum DEO contraxerunt, aliud professi non sunt. Hoc omni tempore, quovis loco, ad quem Christiana disciplina propagata est, indubium habebatur. Vitam prius quam persuasionem istam innumeri inter acerbissimos cruciatus sibi eripi passi sunt. Atqui septem esse verè, ac propriè sacramenta novæ legis; sub speciebus panis & vini sine pane ac vino esse corpus, ac sanguinem Christi &c. Primis quatuor à Christi in Cœlos ascensione sæculis Romani crediderunt: omnes superiorum temporum sapientes ab Apostolis Christi mortis, Passionis sacratissimæ, & doctrinæ testibus acceptum trædiderunt: quotquot sanctitate floruerunt, & divina fide Cœlum sibi aperuerunt, aliud professi non sunt: Hoc omni tempore,

quovis loco, ad quem Christiana disciplina propagata est indubium habebatur; immò vitam priùs, quām persuationen istam sibi innumeri inter acerbissimos cruciatus eripi passi sunt. Ergo hi articuli: septem sunt verè, ac propriè Sacra menta novæ legis, sub speciebus panis, & vihi est verè corpus, & sangvis Christi sūnè pane ac vino &c. digni sunt creditu perinde, a calij quicunque, quòd singulos DEUS revelaverit. Utrum legitima sit hæcce illatio disceptare non licet. Nam si assumptio & propositio sint veræ, non modò paria, sed eadem omnino sunt indicia, quòd DEUS tum communes plerisque sectis, tum proprios Romanæ Ecclesiæ articulos revelarit. Non par, sed eadem est ratio formandi iudicium, hos & illos ex æquo esse firmissimè credendos. Proinde non tantum pari, sed & eadem evidentiâ, tum accidentales, tum substantiales articulos mereri fidem tanta cum firmitate, quanta divino debetur testimonio certum erit. Propositio patet ex cap. 2. 3. & 11. p. 1. per totum. Neque enim aliis ex causis fidem divinam esse

esse ad salutem omnibus ratione utentibus necessariam; DEUM esse unum quoad essentiam; Christum pro peccatis nostris interemptum &c. est dignum creditu, ac quod DEUS ad faciendam his fidem multa per homines supra vires totius naturae patrârit; hæc omni tempore ac loco, ad quem disciplina Christiana propagata est, indubia sint habita: quotquot sanctitate floruerunt aliud professi non sint, imò vitam prius, quam persuationem istam inter acerbissimos cruciatus sibi eripi passi sint. Ut p. i. cap. 2. & 3. expendimus.

139. Assumptionis probationem meritò requirunt adversarij. Luculentam consequentibus exhibebimus capitibus. Nunc adversus distinctionem credendorum articulorum in essentiales, & accidentales propositum sic instauro argumentum in figura prima, modo tertio nempe in Darij: quid quod primis quatuor à Christi ascensione in Cœlos saeculis Romani crediderunt: omnes superiorum temporum Christiani sapientes ab Apostolis acceptum tradiderunt: quotquot sanctitate floruerunt, aliud professi

fessi non sunt: quod omni tempore, quo-
vis loco ad quem Christiana disciplina pro-
pagata est indubium habebatur, ita ut vi-
tam prius, quam persuationem de eo in-
numeris inter acerbissimos cruciatus sibi e-
ripi passi sint, evidenter dignum est firmis-
sima fide, atque adeo credibile & creden-
dum. Sed tum essentiales, tum acciden-
tales, ut adversarij vocant, articulos pri-
mis quatuor à Christi ascensione in Cœlos
sæculis Romani crediderunt: omnes supe-
riorum temporum Christiani sapientes ita
ab Apostolis acceptum tradiderunt: quo-
quot sanctitate floruerunt aliud professi nō
sunt: hoc omni tempore, quovis loco, ad
quem Christiana disciplina propagata est,
inter paganos indubium habebatur, imò
vitam prius, quam persuationem de his in-
numeris inter acerbissimos cruciatus sibi e-
ripi passi sunt. Ergo tum essentiales tum
accidentales articuli evidenter firmissima
fide digni, atque adeo credibiles, & cre-
dendi sunt. Unde consequitur distinctio-
nem articulorum in fundamentales & ac-
cidentales esse manifestè frivolum.

140. Confirmatur si liberum foret credere, & non credere recepta quædam dogmata inter Christianos, cur Carnis resurrectionem, id est corporum, morte ab animis separatorum unionem cum animis in die supremi judicij, & vitæ redintegracionem negare integrum non esset? nam Carnis resurrectionis vires quidem naturæ excedit, res tamen magni momenti non est, quando quidem animi sine Unione cum carne felices esse possunt; caro ab animo divisa nec felicitatis, nec miseriæ capax est. Quippe diem ultimum obeuntium in statu gratiæ animi sunt plenè felices; Caro cum vita expersa sit, neque felix, neque infelix est. Dogma de reali præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, ac vini in Sacrosancta Eucharistia, si conferatur cum Carnis resurrectione multò est excellenter, ac sublimius. Si istud sine injuria DEI, sine jactura salutis credere & negare potes, obsecro quam ob rem, si non credas ponderis multò minoris resurrectionem Carni, peccabis in Divinam Majestatem, in salutem animi? si cætera, quæ Divinitus

revelata sunt (certò cettius enim ultra Symbolum Apostolorum plurima sunt revelata) per negare, dum tibi sic videtur expedire, liceat, cur hanc Symboli revelatam partculam Carnis resurrectionem negare, velut falsam, sit impium? atqui opinione adversiorum, cum quibus dispiuto, non est liberum credere, & negare Carnis resurrectionē, alioquin liberum foret credere, & negare ea, quæ complectitur Symbolum Apostolorum; Hymenæus, & Alexander hoc solo nomine, quod Carnis resurrectionem negaverint, nequiissent tradi diabolo à D. Paulo, go.

141. Confirmatur 2do si dogmata Romanis propria, tum probare, tum improbare liberum est, non solam Carnis Resurrectionem, sed quidquid continetur Apostolico Symbolo improbare liberum erit. Nam illud Symbolum in literis, quas credimus Divinas, nusquam reperitur. Manasse ab Apostolis, & per hos à Christo ad fideles, aliis credibile non est indiciis, ac quæis dogmata Romanis propria à Christo esse tradita condicimus. Producant enim

secta-

sectarij, si quæ habent, alia. Nulla certe hæc tenus produxerunt, nequè unquam producturi sunt. Igitur vel fide Divinâ sunt ita credibilia, & credenda tum dogmata Romanis propria, tum contenta Symbolo Apostolorum, ut sinè peccato, quocum spem gloriæ cœlestis habere non possumus, negari nequeant utraque; vel neutra sunt sic credibilia, & credenda. si neutra sic credibilia, & credenda sunt, utraqùè negari sinè piaculo, sinè jactura vitæ æternæ possunt. Sin utraqùè sint credibilia, & credenda: sicut Symbolo Apostolorum comprehensa, ita Romanis propria dogmata, sunt credenda; & sive hæc, sive illa neges, beatitudine fidelibus promissa excides, Ergo.

142. Confirmatut 3tio. si omnia retro à gloriofa Christi in Cœlum ascensione tempora, si consensus Sanctorum, ac sapientum omnium, si tot locis, ac annis dissitarum gentium conspiratio, ad habendas pro eloquiis divinis literas, quas nuncupamus sacras, si immanes cruciatus, in quibus innumeri divina confessi sunt, qui que cupiditate verè divinâ confitendi, & dira

dira omnia tolerandi ne habeantur contem-
 ptui succenderunt multos, nō persuadent ita
 esse divina eloquia, ut sine jactura vitæ æter-
 næ, certo sempiternæ damnationis periculo
 nequeamus existimare profana, dicite a-
 mabò quemadmodum hæc res persuaderi po-
 terit? ego sane non video, quo nomine
 Ethnicis commendari possint, si tot ac tan-
 tis titulis non comendantur satis. Nihil suc-
 currit, quo documento, quo arguendi
 genere oporteat uti, ad perpellendum Tur-
 cam, ut præ Alcorano volumen divinarum
 nobis literarum veneretur, & ex ejus præ-
 scripto vitam instituat, si consensus om-
 nium, si ætas priorum temporum id nō per-
 suadeat. Si divinitatem Christi edita mi-
 racula, & maximi instar miraculi propa-
 gata per orbem mirabiliter de hac divinita-
 te persuasio: invicta supliciis constantia in-
 retinenda: aduersus Gentilium Judæorum,
 hæreticorum supremos tot sæculis conatus,
 ut aboleatur, in hanc sententiam euntium
 quotidiana incrementa non probant, di-
 vinitas Christi, obligatio servandi ejus le-
 gem, necessitas divinæ fidei ad salutem nul-

la ra-

la ratione probatur, nihil prohibet, ne cum
Mahomete allegato num. 14. sentiamus,
quod omnis recte vivens, seu Iudæus, seu
Christianus lege suâ relictâ in aliam transi-
ens, omnis inquam, qui DEUM unum ador-
rat, bonumque agit divinum amorem con-
sequetur, & quod res est, cum Punctio con-
secutaneum arbitremur, Christianam fidem
ad æternam salutem, neutiquam esse ne-
cessariā. Non ajo præterea aliis momentis
svaderi haud posse divinitatem Christi, &
Christianæ legis necessitatem ad salutem.
Promi, contorquerique in Gentiles, & Ju-
dæos multa similiatela, jugulandis suffice-
re posse, nullus dubito. At addo hæc re-
pudianda, cui haud satis acuta, obtusaque
sunt illa. Jam verò si omnia retro sæcula,
omnes sapientes, ac clari sanctitate; om-
nes Gentes gregi Christi adjunctæ conspi-
rârunt adversus Calviniana, Lutherana &c.
dogmata, jurârunt in Romana: si mira in-
ter Gentes propagatio horum dogmatum:
si constantia in profitendis probat: si Mar-
tyrum myriades in equuleis, diroque ago-
ne laudant eadem: si miracula adstruunt,

non sit tamen in his omnibus tantum momenti, ut persuadent revelata esse à DEO, & idcirco sínè jactura salutis contemni non posse, nec sacras literas, nec divinitatem Christi, & ejus legis satis persuadebunt. Nam pro quaunque doctrina stant, pugnántque, si quæ vis iis inest, ut vincant causam oportet. Si non vincant, nulla iis vis inesse potest. Idcirco vel Christiana simul, & Romana quoque dogmata probari omnibus debent, vel Christiana quoque improbari possunt, si improbentur Romana, ut Philosophus damnato Romanorum vel uno dogmate *nequeat esse Lutheranus, aut Calvinista*, donec mens ei constat, sed non Christianum esse oporteat potius, quam Lutheri vel Calvini discipulum, ut sapienter laudatus numero 15. Cornæus animadvertisit.

143. Atque hæc est, quam citato numero promisi, ratio sententiæ à Cornæo pronunciatae, à me non damnatae. Non damnabitur ulli, neque paradoxum videbitur, dummodo hæc diligenter expendantur. Certe cui lapsa sæcula, sapientes,
Sancti

Sanctique omnes Romana dogmata profi-
 tentes, Martyrum ex utroque sexu, quavis
 aetate miriades eadem exquisitorum, quo
 instinctione orci extogitare potuit crudeli-
 tas, cruciatum tolerantiâ propugnantes,
 non persuadent consensionem cum Ro-
 mana Ecclesia, ut exclusâ omni formidine
 credat Christi divinitatem, permolestam le-
 gem, doctrinam, neutiquam persuadebunt,
 præcipue si deformibus distortisque linea-
 mentis à novatoribus expictum apprehen-
 dat Christum. Nam qui adduci nequit
 ut tributam homini à D E O potestatem
 in Ecclesiam fateatur, qua in re nihil
 impossibile, nihil D E O humilius, ni-
 hil homine majus appetet, ecqua instinc-
 tum ratione speremus Confessurum esse
 illius divinitatem qui ab *infantia* non fuit
 gratiâ consummatus, sed animi dotibus,
 veluti cæteri homines adolevit; usi fac-
 tus quotidie sapientior ita, ut puerulus
 ignorantia laborârit: cùm orans in horto
 sudoribus aquæ manaret, & sanguinis, sen-
 su damnationis æternæ cohorruit: vocem
 edidit sine rationale, sine spiritu, vocem do-

loris impetu repentinam; quam ut non satis
 meditatam celeriter castigavit; |cùm actus
 in crucem exclamaret: DEUS meus DEUS
 meus, ut quid dereliquisti me, accensus est
 flammis inferni, desperationis vocem emisit,
 non aliter affectus, quam si pereundum ei
 foret internecione sempiterna; qui descendit
 ad inferos, id est: mortuus gehennam gu-
 stavit, nibilominus, quam animæ damna-
 torum, nisi quod sibi restituendus erat.
 Quandoquidem enim morte corporeæ nobis
 nihil profuisset, anima quoque cum morte
 luctari debuit æterna, atque hoc modò no-
 strum scelus suppliciumque dependere. Quis
 usque adeò miserum, quin & improbum
 colat velut principium omnium rerum,
 fontem sanctitatis, ac boni omnis? quis
 æquissimum legislatorem, quis omnium of-
 ficiis dignum credat supremum Dominum?
 talē verò Bucerus in Lucæ caput 2. Melan-
 in Evang. Dom. 1mæ post Epiph. Calvinus
 in har. Evang. Lucæ. Brencius in Catech.
 anni 1551. &c. finixerunt Christum. Sed
 jam promissam demus probationem. Sit
 itaque.

CAPUT V.

*Quod hodie credunt Romani,
primis quatuor saeculis a Christi in
Caelos migratione credidisse.*

144. **P**rolixissimam, & voluminibus im-
plendis parem, istius asserti ex-
hibere possemus probationem, si alij, at-
que hos inter elegantius Gualterus è S. J.
id abunde ante nos non præstitissent. Con-
cilia haud pridem collustrante mentes Pa-
trum S. Spiritu declaravisse, ut firmiter
credantur quædam dogmata, litibus Theo-
logorum superiore ætate subjecta, sint an
non sint credenda, fateor. Neque tamen
minus verum est, quod dixi, tum quod
nihil unquam Romana Ecclesia crediderit
contrarium recensitis aliquando à subsequis
conciliis inter articulos credendos; tum
quod semper fixum habuerit, credendum
esse, quidquid legitima, quacunque ætate,
Concilia ex verbi Divini præscripto cre-
dendum censuerint. Rectè proinde pro-

nunciamus Romanos primis à Christi in Cœlos migratione quatuor sæculis credidisse illa etiam, quæ consequentibus annis non minùs, ac quævis alia mysteria, declaratum est credenda esse.

145. En jam brevem, sed validam ejus, quod dixi probationem ex Joanne Barclajo, alijsque. Si non statim à Christi in Cœlos migratione inde sinenter hunc in diē Romani crediderunt septem esse verè, ac propriè Sacra menta novæ legis &c. Cur nescitur annus, imò sæculum, quo hæc omnia, aut singula credere cæperunt? cur non nominatur Urbs, in qua ante alias credita? cur tacentur Episcoporum, aliorūm ve nomina, à quibus primis sunt commendata populo, ut credantur? quæ gens prior in horum errorum persuationem ad ducta est? Quando Apostolica doctrina, non privato paucorum errore, sed communi ejus cætus consensu, qui vera Christi Ecclesia antea fuisset, adulterari cæpit? Si hæc omnia explorata dicere quis ausit, cur ex adversariis primum sub finem quarti à Christo sæculi alij, tardius alij, Pontifice

S. Gre-

S. Gregorio Magno, qui Pontificum bonorum ultimus, malorum primus fuerit, atque adeò hinc ferè annis centum ultra milie alij, ab ipso denique exordio Ecclesiæ alij, volunt superstitionem, idolomaniam persuasione articulorum Romanis familia-
rium irrepsisse in Ecclesiam? cur in re ex-
plorata variant, & alij aliis adversantur?
Hæc non illicò esse observata à reliquis,
pressa parumper silentio, dissimulataque
fingi, nisi inceptè, non potest. Etenim
si dogmata id genus fideles à Christo, & A-
postolis neutiquam acceperunt, statim ac
Doctrinæ Apostolicæ apposita sunt, ma-
gistra veritatis Ecclesia Romana migravit
in scholam satanæ, sponsa Christi facta est
meretrix, quorum salutaris doctrina an-
nunciabatur in universo orbe, superstitione,
idolatriâ polluti sunt; nihil, ac Judæi,
& gentes, minùs, digni erant, ut à cætero-
rum confortio arceantur, devoventurque.
Tanta mutatio, nisi cæcos fingamus om-
nes, effugere oculos non potuit. Tam
immanem Christianæ disciplinæ labem,
tātum probrum piæ mentes ferre non de-

bebant. Si rei foedatas, zelus Domini, reliquum orbem incorruptum ad secessionem à depravatis, & pestilentibus Romanis non impulisset, decumanā unius cuiusvis insontum injuriā ad defigendos anathemate, diri que devovendos permoveri oportebat. Qui enim istiusmodi dogmata adoptarunt, Divinæ Triados instar indubia fide sacros habebant, spe Cœli deturbabant, orco addicebant, non credentes eadem. Unde tolerantia in æquissima usque adeò indignandi causa mortalibus? Unde in tam excrandam impietatem optimis viris conniventia? Hæc cùm credi nequeant, nunquam Romanos ista credere cepisse, semper in hac fide vixisse, dicendum est.

146. Insigniter intendit vim istius rationis Gregorij de Valentia Soc. JESU Theologi comparatio ætatis nostræ cum atavorum seculis. Ut exprimā, inquit, quantā apud animum certè meum hæc oratio vim habeat, hoc utar exemplo: censent Sectarij, institutum sacrificandi Eucharistiam, morémque sanctos invocandi, & aliorum ejusmodi cultuum, turpissimam esse

esse idolatriam, atque adeò non minus, sed multò etiam magis perversum, Apostolicæque doctrinæ contrarium, quām si quis vellet ritu gentilium, aut Judæorum, oves & boves, aliásque pecudes immolare DEO, aut pro Diis venerari volucres, & serpentes. Obsecro, quis nunc credat fieri his temporibus posse, ut vel Pontife^x aliquis Romanus, vel alias quisquam, ejusmodi ritus immolandi animalia, vel adorandi serpentes, contra Christi Apostolorumque doctrinam in Ecclesiam inducat, tum Spiritu sancto connivente, tum eadem ipsa Ecclesia Catholica per cunctum orbem & consentiente, & planè dissimulante, neque notante quidem ad memoriam posteriorum tales Christianæ, atque Apostolicæ doctrinæ depravationem? Profectò insanus est, ac mente omni caret, qui hoc existimet in Christi Ecclesia posse evenire. Quòd si hoc accidere posse incredibile est: quomodo credi potest, id ipsum jam antè evenisse? Quomodo, inquam, est verisimile, & sacrificium Missæ (v.g.) atque adeò ritum vestium sacrarum, & templo-

rum; & mortem venerandi imagines, ac
 Divos invocandi; æquè (ut æstiment Sec-
 tarij) Apostolicæ doctrinæ contrarium es-
 se, atque immolandi animalia ritum; &
 tamen in Ecclesiam per cunctum orbem
 sic esse introductum, ut neque repugna-
 verint in ea re unquam Christiani populi,
 neque posteriorum quidem memoriarum, cum
 observatione personarum, & temporum,
 talem corruptelam Religionis prodiderint?
 Porrò, si hoc in uno etiam vel altero dog-
 mate factum esse, incredibile apparet:
 quanto id videri debet incredibilius, si res
 omnes cumuleshodie controversas, in qui-
 bus Sectarij criminantur Ecclesiam Catho-
 licam communis errore ab Apostolorum in-
 stitutis, doctrinaque recessisse? Me quidem
 hæc consideratio certissimè apud animum
 meum statuere facit, aut nullam omnino
 esse in orbe incorruptam doctrinam Apo-
 stolorum, quod existimare nefarium esset,
 aut eam esse, quam retinet Ecclesia Roma-
 na, quæ proinde verissimè est Ecclesia Chri-
 sti Apostolica. Ita de Valentia.

CAPUT VI.

*Christianos sapientes credi-
disse omnia semper, quæ credunt ho-
die Romani.*

147. **N**on diffiteor SS. Patrum auctoritatē ministrorum verbis celebrari, præcipuè quando cum imperitioribus sermonem de Religionē instituunt. Hos esse ex aſſe ſuos jactant. Si obscuriorēm cuius ſententiam repererunt, ſi in ſenſum Calvini, Lutherivè adhibita verbis, & contextui vi, ſiecti queat, quamvis pluribus locis contrariam ita promat ſententiam, ut in alio, quam Romano ſenſu accipi non poffit, pro concione declamant, mirēque plaudunt. Qua ego hæc ingenuitate aduersariis do, eadem confido haud gravatè fassuros, quòd nolint rationem diuinæ fidci exigī ad placita SS. Patrum. Agnoscent non unum omnium, non omnes conjunctim SS. Patres iſpis effe tanti auctores, ut dñmnrare velint, quod SS. Patres

dominant, probare, quod approbant, ea
 ex causa, quod reverentia tantis viris de-
 bita id postulet, exemplum sat̄ superque
 sfadeat. Suam esse hanc sententiam dicent:
 Patres quantumcunque claros sapientiā, &
 pietate, homines fuisse, qui perinde, atque
 nos, falli, & fallere potuerint, ac re ipsa
 turpi errore lapsi sint. *Divina Majſtas*
mecum facit, ut nihil curem, si mille Au-
gustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Hen-
ricianæ contra me starent, est ode Lu-
 theri in Libro contra Angliae Regem. *Quod*
Hieronymus ait pœnitentiam esse secundam
post naufragium tabulam, cùm plane im-
pium sit, excusari non potest, cecidit Cal-
 vinus institutionum Lib. quarto Cap. 9. 19.
 §. 17. Utrique concinere ex æquo Luthe-
 ranos, & Calvinianos notissimum est. Sa-
 cras literas à Romanis haberi contempsi?
 Patrum sententias in oraculis censeri, in-
 ventiones hominum pro verbo DEI recipi
 stomachantur.

148. Jam peto, quando talia ja-
 ētant? certè dum objicimns, quod
 totam retro ætatem, omnes Ecclesiæ Do-
 cto-

etores adversarios habeant; dum apertis ostendimus documentis, quæ credimus hodie, ab omnibus esse credita sapientibus Christi legem professis. Peto rursus, quas ob causas hæc jactent? ni fallor ne ab infensis debellati videantur sapientibus; ne excitata de Religione lis his arbitris addicatur nobis. Improperant enim, si Patres, si Doctores Romanis sint consentientes, alios, quod sacræ literæ attestantur credere; ut Romani accedant ad Patres, à scripto DEI verbo discedere. Itaque id ingenuè, quod est, fatentur: nostram & sapientum æræ Christianæ causam esse eandem; quod iij per sacras literas intellexere, à nobis intelligi: quod à DEO dictum crediderunt, à nobis quoque credi; ubi nos Lutherani, Calviniani, Unitarij, Pietistæ, Adiaphori habent adversarios, illinc SS. Patres simul iis esse infensissimos, ut Patrum pro nobis sententias exscribere, suffragia recitare, supervacuum sit.

149. Sed audiamus ad propositū Edmundū Campianū è S. J. Sic differit ad Academicos Angliæ reddens rationē cur unus omnibus

bus certamen obtulisset de fide, non in ge-
 niō, arte, non eloquentiā aut memo-
 riā, sed causæ æquitate, & facilitate fretus.
 Ad Patres si quando licebit accedere, con-
 fectum est prælium: tam sunt nostri, quam
 Gregorius ipse XIII. (nūc dicamus Clē. XII.)
 filiorū Ecclesiæ Pater amantissimus. Nā uo-
 omitteam loca sparsa, quæ ex monumentis ve-
 terum conquisita, nostram fidem appositè
 affirmatèque propugnant; tenemus horum
 integra volumina, quæ de industria Reli-
 gionem, quam tuemur Evangelicam, di-
 stinctè copiosèque dilucidant. Duplicet Hie-
 rarchia Martyris Dionysij, quas classes, quæ
 sacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res
 Lutherum tam valde, ut hujus opera simil-
 lima somniis, nec non perniciofissima judi-
 caret. Imitatus parentem Causæus, nescio
 quis terræ filius ex Gallia, non est veritus
 bunc Dionysium inclytæ gentis Apostolum,
 vocitare delirum senem. Centuriatores
 vehementer offendit Ignatius; offendit &
 Calvinum, ut in ejus epistolis deformes næ-
 vos & putidas nærias, hominum quisqui-
 liæ, notarint. Censoribus illis fanaticum
 quid-

quiddam Irenæas edidit: Clemens, auctor
 Stromatum, Zizania fecesque protulit:
 reliqui Patres hujus ævi, saniè Apostolici vi-
 ri, blasphemias & monstrorum posteris relique-
 runt. In Tertulliano rapiunt avidè, quod
 à nobis edocti, nobiscum communiter dete-
 flantur: sed meminerint libellum de præ-
 scriptionibus, qui nostri temporis Sectarios
 tam insigniter perculit, nunquam fuisse
 reprobensum. Hippolitus Portuensis Episco-
 pus, quam belle, quam clare, Antichristi
 nervum, Lutherana tempora præmonstra-
 vit? Eum propterea Scriptorem infantissi-
 mum & larvam nominant. Cyprianum de-
 licias, & decus Africæ, Gallicanus ille Criticus,
 & Magdeburgici, stupidum & destitutum
 DEO & depravatorem pœnitentia, nuncu-
 parunt. Quid admisit? Scripsit enim de Vir-
 ginibus, de lapsis, de unitate Ecclesiæ tracta-
 tiones ejusmodi, eas etiā Epistolas Cornelio Ro-
 mano Pontifici; ut nisi fides huic Martyri de-
 trahatur, Petrus Martyr Vermilius, omnésq;
 eū eo foederati, pejores adulteris, & sacrilegis
 habeantur. Ac ne singulis insīlam diutius,
 Patres hujus saculi damnantur omnes, quippe
 qui

qui doctrinam de poenitentia, mire depravârint: quo pacto? nam austoritas Canorum quæ viguit ea tempestate, majorem in modum dispergit huic Sectæ plausibili; qua tricliniis aptior quam templis, voluptarias aures titillare, & pulvritos omni cubito sollet assuere. Quid ætas proxima, quid peccavit? Chrysostomus & ij Patres justitiam fidei fœdè videlicet, obscurârunt. Nazianzenus, quem honoris causâ Theologum veteres appellârunt, Causao judice, Fabulator quid affirmaret, nesciit. Ambrosius à Cacodæmone fascinatus est, Hieronymus æquè damnatus, atque diabolus, injiosus Apostolo, blasphemus, sceleratus, impius. Unus Gregorio Messonio, pluris est Calvinus, quam centum Augustini. Parum est centum: Lutherus nihil facit adversum se, mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias. Longius rem deducere supervacaneum puto. Nam in hos qui bacchantur in Optatum, Athanasium, Hilarium, Cyrillos, Epiphanium, Basilium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, Gregoriumque Romanum fuisse procacissimos? Quanquam,

quam, si datur ulla rebus injustis, iusta
 defensio; non inficiar, habere Patres, ubi-
 cunque incideris, quod isti dum sibi con-
 sentiunt, necessario stomachentur. Etenim
 qui odere statuta jejunia, quo animo oportet
 esse in Basilium, Nazianzenum, Leonem,
 Chrysostomum; qui de Quadragesima, &
 indictis jejuniorum feriis, tanquam de re-
 bus jam usitatis, conciones egregias publi-
 carunt? Qui suas animas, auro, libidi-
 ne, crapula, & ambitiosis conspectibus ven-
 diderunt; possuntne non esse inimicissimi
 Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augusti-
 no, quorum excellentes libri de Monacho-
 rum instituto, regula, virtutibus, terun-
 tur? Qui captivam hominis voluntatem
 invexere, qui Christiana funebria sustu-
 lere, qui Divorum reliquias incendere;
 sintne placabiles Augustino, qui de Libero
 Arbitrio libros tres; de cura pro mortuis,
 unum; de miraculis ad Basilicas, & memo-
 rias Martyrum, prolixum caput nobilissi-
 mi operis, & conciones aliquot excavaravit?
 Qui fidem suis captiunculis metiuntur;
 nonne succenseant Augustino, cuius est in-
 signis

Signis Epistola contra Manichæum, quæ se profitetur, antiquitati, confessioni, successioni perpetuæ, & Ecclesiæ quæ sola inter tot hæreses Catholicæ nomen usucapione vendicat, assentire? Optatus, Milevitanus Episcopus, Donatianam partem revincit ex communione Catholicæ: nequitiam accusat ex decreto Melchiadis: hæresim refutat ex ordine Romanorum Pontificum: insaniam patefacit in Eucharistia & Chrismate contaminatis: sacrilegium borret, ex diffractis altaribus, in quibus Christi membra portata sunt, pollutisque calicibus, qui Christi sanguinem tenuerunt. De Optato quid sentiant, aveo scire; quem Augustinus ut venerabilem & Catholicum Episcopum, Ambrosio parem & Cypriano; quem Fulgentius ut sanctum & fidem Pauli interpretem, Augustini similem & Ambrosij meminerunt. Athanasij Symbolum in Templo concinunt. Num favent ei? qui Antonium Eremitam Ægyptium, gravis auctor, accurato libello dilaudaverit, qui que cum Alexandrina Synodo, judicum Sedis Apostolicæ, Divi Petri, suppliciter appellârit?

Pru-

Prudentius in Hymnis, quoties precatur
 Martyres, quos decantat? quoties ad eo-
 rum cineres & ossa, regem Martyrum ve-
 neratur? num hunc probabunt? Hiero-
 nymus pro Divorum reliquiis, & honoribus
 scribit in Vigilantium; in Jovinianum, pro
 Virginitatis gradu: huncine patientur?
 Ambrosius tutores suos Gervasium, & Pro-
 tasium, celebritate notissima, in Arria-
 nam ignominiam honestavit: cui facto di-
 vinissimi Patres encomion tribuere: quod
 factum DEUS non uno prodigo decoravit:
 num benevoli sunt Ambrosio futuri? Gre-
 gorius Magnus noster Apostolus, planissime
 noster est, eoque nomine nostris Adversariis
 odiosus: quem Calvinus rabies negat in Schola
 sancti Spiritus educatum, propterea quod
 sacras imagines, illiteratorum libros appel-
 lasset. Dies me deficeret numerantem E-
 pistolas, Conciones, Homiliae, Orationes,
 Opuscula, Disceptationes Patrum, in quibus
 ex apparato, graviter, & ornatae nostra
 Catholicorum dogmata roborârunt.

CAPUT VII.

*Fidem modernorum Romano-
rum esse eandem cum fide virorum, ac
mulierum pietate insignium lap-
sis saeculis.*

150. **Q**uid jam dicam de viris, mulie-
ribusque amicitia cum DEO
claris, mundum, & quidquid in mundo
est, fastidientibus præCœli gazis, solique
DEO intentis? Ad parendum divino nu-
tui omni in re advigilabant, ne latum un-
gvem à voluntate, & dogmatis Numinis pa-
rati totius mundi causâ discedere.

151. Quocirca fide indubie placuē-
re DEO. Qui eandem atque hi fidem pro-
fiteatur, non potest fidei nomine displice-
re, supremo Numinis. Utar hīc verbis P.
Melchioris Cornæi è S. J. quærāmque: *Quō
in cœtu viixerunt ij, quos Patres, & Doc-
tores vocitatis, Gregorius, Chrysostomus,
Epiphanius, Ambrosius, Hieroymus, Au-
gustinus, Cyprianus, Hilarius, Leo, &
sex-*

Sexcenti alij , qui libris suis eruditissimi
 Bibliothecas vestras ditârunt ? Quâ Re-
 ligione fuerunt Antonius , Hilarion , Ma-
 carius , Benedictus , Franciscus , Domini-
 cus , Antonius , Bernardinus , Ignatius ,
 Xaverius , aliique innumeri , quos Sancto-
 rum nomine insigniti ? Quâ fide extite-
 runt , qui morbos sônticos pepulerunt , qui
 spiritus tartareos è corporibus mortalium
 exegerunt , qui mare pedibus tranârunt ,
 qui mortuos ad vitam revocârunt , deni-
 que qui tot prodigiè indubia divinâ virtu-
 te patrârunt , Gregorius Thaumaturgus ,
 Antonius de Padua , Franciscus de Paula ,
 Franciscus Xaverius ? Cujas demum Eccle-
 siæ fuerunt , qui olim ad postes flagrârunt ,
 qui undis præfocari , qui ingentibus terræ
 molibus viventes obrui , qui fame , sitiique
 in exilio , & carceribus dirum in modum
 cædi , truncarique , mille denique morti-
 bus crudelissimè è medio tolli maluerunt ,
 quam fidem ac Religionem suam abnegare ?
 Si quis Modernorum ausit reponere suos
 fuisse , sic vanissimum hominem refellit :
 Vestri fuere Papæ , Monachi , & Mo-

nachorum institutores ? qui Sanctos
invocârunt, pro mortuis orârunt, Mis-
sas dixerunt, Primum Ecclesiæ Ro-
manæ agnoverunt ? Si fecisse talia ne-
get, tu hæc cum stomacho jure oppo-
net, tā perspicua audeſ negare ? Quæſo,
quis tu homo es ? an cerebrū , aut ocu-
los, ut hæc nō intelligas, aut nō videas ?
Aut quocum putas negotium tibi eſſe ?
cum homine, aut cum ſtipite ? homo
ſum, neque tam ſtipes, ut cum virorum
illorum & libros, & res gestas in Bi-
bliothecis evolvo, non videam, plures
eorum Monachismo, & Religiosæ vitæ
obſtrictos fuifſe, Miffam feciſſe pro mor-
tuis, preces ad DEUM fudiſſe, Sancto-
rum opem implorâſſe, & plura talia &
feciſſe, & ſcripſiſſe, quæ vos Lutheranī,
& Calvinistæ hodie in Papistis ac-
cuſatis. Quare aut tace deinceps ta-
lia

tia apud me proferre , aut permitte uti
pro insano te habeam.

152. Succedat Cornæo laudatus Campian⁹.
Exrecitata Acad. Angliæ causâ in hūc modū
affatur : *Theatrum universitatis rerum
ponamus ob oculos ; quidquid est uspiam
peragremus : omnia nobis argumentum
suppeditant.* Eamus in cœlum : Rosas
& Lilia contemplemur ; purpuratos
nempe Martyrio , candidatos innocen-
tiâ , Romanos inquam Pontifices , tres
& triginta continenter occisos : Pa-
stores terris omnibus , qui suum pro Chri-
sti nomine sanguinem oppignerârunt :
Greges fidelium , qui Pastorum vestigiis
institere . Divos omnes cœlites , qui
turbæ hominum , puritate & sanctimo-
nia præluxere . Nostros hic vixisse ,
nostros hinc emigrâsse reperias . No-
ster fuit , ut parvula delibemus , ille Mar-
tyrij sitientissimus Ignatius : qui in re-

bus Ecclesiæ neminem, ne regem quidem
 æquavit Episcopo: qui traditiones quasdam
 Apostolicas, quarum testis ipse fuerat, ne
 dilaberentur, Scripto mandavit. *Noster*
Anachoreta Telephorus: qui jejunium
 Quadragesimæ sancitum ab Apostolis obser-
 vari severius jussit. *Noster Irenæus,* qui
 à successione Cathedrâque Romana fidem
 Apostolicâ declaravit. *Noster etiâ Victor*
Pontifex, qui Asiam edicto coercuit uni-
 versam: quod cum aliquibus, atque
 etiam huic Irenæo viro sacratissimo vi-
 deretur asperius; nemo tamen attenua-
 vit, ut exoticam potestatem. *Noster*
Polycarpus, qui super quæstione Pa-
 schatis Romanum adiit; cuius ambustas
 reliquias Smyrna collegit, anniversario
 die rituque legitimo, suum Episcopum
 venerata. *Nostri Cornelius & Cy-
 prianus,* aureum par Martyrum, ambo
 magni Præfules: sed major ille, qui

Ro-

Romanus Africanum errorem resciderat; hic nobilitatus observantiā, quā maiorem est prosequutus, amicissimum sui. Noster Sixtus, cui ad aram solennibus sacrī operanti ministrārunt ē Glero septemviri. Noster Laurentius hujus Archidiaconus, quem Adversarij de suis fastis ejiciunt. Nostræ, Virgines illæ perbeatæ: Cæcilia, Agatha, Anastasia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Catharina, quæ decretam pudicitiam adversùs, & hominum, & dæmonum tyramidem firmaverunt. Nostra Helena, quam Dominicæ Crucis inventio celebravit. Nostra Monica, quæ moriens orari & sacrificari pro se mortua, ad altare Christi religiosissimè flagitavit. Nostra Paula, quæ ex urbano palatio & opimis prædiis, in speluncam Bethlehemiticam, tantis iti-

neribus peregrina cucurit; ut ad Christi vagientis cunabula delitesceret. Nostri Paulus, Hilarion, Antonius, seniculi solitarij. Noster Satyrus, Ambrosij germanus frater; qui tremendam illam hostiam circum se gestans in orario, naufragus insiliit in Oceanum, & fide plenissimus enatavit. Nostri Nicolaus & Martinus Episcopi; exerciti vigiliis, paludati ciliciis, jejunio pasti. Noster Benedictus, tot Monachorum Pater. Chiliadas istas decennio non exequerer. Renunciet mibi, qui de his ambigit. de Christianis illis antiquissinis & beatissimis, quid autumet? utrius doctrinæ fuerint, Catholicæ an Lutheranæ? Testor DEI solium & illud tribunal, ad quod stabo rationem rationum harum, & dicti facti redditurus; aut nullum cœlum esse,

aut

*aut nostrorum esse : illud execramur ;
hoc ergo defigimus.*

Nunc ex contrario , si libet inspiciamus in Tartara . Cremantur incendio sempiterno : qui ? Judæi : quam Ecclesiam aversati ? Nostram : qui ? Ethnici : quam Ecclesiam crudelissimè persequiti ? Nostram : qui ? Turcæ : quæ templæ demoliti ? Nostra : qui ? Hæretici : cuius Ecclesiæ perduelles ? Nostræ , quæ enim Ecclesia præter nostram , (Matth. 16.) omnibus Inferorum portis se opposuit ? Cum pulsis Hebræis , Christiani succrescerent Hierosolymis ; DEUM immortalem , qui concursus hominum ad loca Sacra fuit ? quæ urbis Religio ? quæ sepulchri , quæ præsepij , quæ crucis , quæ monumentorum omnium , quibus velut exuviiis mariti , Ecclesia sponsa delectatur ?

Hinc manavit in nos Judeorum odium, ferum & implacabile. Queruntur etiam nunc, majores nostros majoribus suis exitio fuisse. A Simone Mago & Lutheranis nullum ictum acceperunt.

Deseramus Avernum, reddamur terris. Quocunque me oculis & cogitatione convertero, sive Patriarchas intueor & Sedes Apostolicas, sive Antistes cæterarum gentium ; sive laudatos Principes, Reges, Cæsares, sive Christianorum cujusque nationis initia ; sive ullum judicium vetustatis, aut lumen rationis, aut honestatis decus : nostræ fidei serviunt & suffragantur omnia. Testis Romana successio, in qua semper Ecclesia ut cum Augustino loquar) Apostolicæ Cathedræ viguit Princeps. Testes illæ reliquæ Sedes Apostolicæ, in quas hoc nomen insignitè convernit ;

nit; quod ab ipsis Apostolis, horum
 auditoribus exædificatæ fuerint. Te-
 stes ubivis gentium pastores, loco dissi-
 ti, Religione nostra concordes. Ignatius & Chrysostomus Antiochiae: Pe-
 trus, Alexander, Athanasius, Theo-
 philus Alexandriae: Macarius, & Cy-
 rillus Hierosolymis: Proclus Constan-
 tinopoli: Gregorius & Basilius in
 Capadocia: Thaumaturgus in Ponto:
 Smyrnae Polycarpus: Justinus Athe-
 nis: Dionysius Corinthi: Gregorius
 Nissæ: Methodius Tyri: Ephreemus
 in Syria: Cyprianus Optatus Augu-
 stinus in Africa: Epiphanius in Cy-
 pro: Andreas, Cretæ: Ambrosius, Pau-
 linus, Gaudentius, Prosper, Faustus,
 Vigilius in Italia: Irenæus Marti-
 nus, Hilarius, Eucherius, Gregorius,
 Salvianus in Gallia: Vincentius, Oro-
 sius, Hildefonsus, Leander, Isidorus in

Hisp^{ania} : In Britannia Fugatius, Damianus, Justus, Mellitus, Beda. Denique, ne ambitiosus videar in nominibus, quæcumque vel opera, vel fragmenta supersunt eorum, qui disjunctissimis terris Evangelium severunt, omnia nobis unam fidem exhibent, quam hodie Catholici profitemur. Christe, quid cause tibi afferam, quò minus me detuis extermines ; si tot luminibus Ecclesiæ, tenebricosos homulos, paucos, indoctos, dissectos, improbos, antetulero ?

Testes item Principes, Reges, Cæsares, horumque Respub. quorum & ipsorum pietas, & ditionum populi, & pacis bellique disciplina, se penitus in hac nostra doctrina Catholica fundaverunt. Hic ego quos ab oriente Theodosios, quos ab Occidente Carolos, quos Edovardos ex Anglia, Ludovicos è Gallia, Hermingildos ex Hispania, Henricos è Sa-

xonia, Wenceslaos è Boëmia, Leopoldos ex Austria, Stephanos ex Hungaria, Josaphatos ex India, quos orbe toto Dynastas atque Toparchas possim arcessere; qui exemplo, qui armis, qui legibus, qui sollicitudine, qui sumptu, nostrā Ecclesiā nutrierunt? ita Campianus.

CAPUT VIII.

*Omni tempore, quovis loco,
ad quem Christiana disciplina propaga-
ta est, gentes articulos Romanis
nunc familiares amplexæ sunt.*

153. IN dies svavi jugo Christi cervices submittunt, & legem amplectuntur in India, latissimè patenti Sinarum Imperio, Philippinis, Molucis, aliisque Asiae Insulis, in Africa, America gentes barbaræ.

154. Sæculo XIV. unus S. Vincentius Ferrerius Ord. Prædicatorum
Auctor

222

auctor fuit, ut Religionem Christianam amplecterentur pene viginti millia partim Judæi, partim Saraceni; ut testatur D. Antonius ejusdem ætatis Scriptor, 3. part. histor. tit. 23. cap. 8. §. 4.

Sæculo XIII. Plurimi in Tartaria fuere conversi ad Religionem Catholicae per duos Dominicanos a summo Pontifice missos, petente id illorum Imperatore, quem Magnum Cham vocant; sicut scribit Paulus Venetus, cuius operâ ille Imperator in ea re est usus.

Sæculo XII. Conversi fuere Norwegi per Adrianum IV. prius quodam Pontifex esset, ut scribit Platina in vita Adriani IV.

Sæculo XI. Conversi magna ex parte Hungari, & Episcopi illis a Romano Pontifice dati, petente id eorum Rege S. Stephano nuper converso: ita scribunt Centuriatores cent. II. cap. 2.

Sæculo

Sæculo X. Conversa multa regna,
operâ Henrici I. Imp. & Adalberti Bo-
hemorum, & Methodij Moravorum
Archи-Præsulum ; ut scribunt Centu-
riatores cent. IO. cap. 2.

Sæculo IX. Conversi Wandali, Bul-
gari, Sclavi, Poloni, Dani, Moravi,
& Ecclesiæ Rom. adjuncti ; ita cent. 9.
cap. 2.

Sæculo VIII. Conversa est magna
ex parte Germania per S. Bonifacium
a Gregorio II. ad hoc missum. Cent. 8. c. 2.

Sæculo VII. Conversi Francones a
S. Kiliano, quem ad hoc Rom. Pont. mi-
serat ; Cent. 7. c. 2.

Sæculo VI. Conversi Angli per
Monachos a S. Gregorio ad hoc destina-
tos. Cent. 6. c. 2.

155. Quas primo commemorav i
loco gentes amplecti hodie legem Christi,
dubium non est, quod à Romanis non Lu-
thera-

theranis, Calvinistisve traditam amplectantur. Etenim auctoribus peculiaris voti Religione Romano Pontifici obstrictis ex Ungaria, Austria, Bohemia, &c. ad pugnam pro sacris Romanis adversus Lutheranos, ac Calvinianos non minùs, quām in Judæos & Turcas longa exercitatione institutis, quos familiariter ipsi novimus è Societate JESU Sacerdotibus, legem Christi amplectuntur. Lutheranos, & Calvinianos nunquam vel auditione accepimus Evangelij anunciandi causâ solūm mutâsse, à paterna domo, propingvis, amicis avulsos esse. Romanorum hæc est gloria, uti Lutheranorum & Calvinianorum propria laus, implendis cunis invisibilem augere Ecclesiā, qualem in infantibus & ignotis antris ante Lutherum, & Calvinum post evolutum à Christi morte quartum sæculum latuisse sunt commenti.

156. Reliquæ Sacramento salutis initiatæ gentes, quotquot unquam in fidem, perstatemque Christi transferunt, non Lutheranæ, non Calvinianæ, aliive haud dissimili Ecclesiæ accesserunt, quæ nusquam

nusquam, & nunquam ante Lutherum extitit, si credimus Romanis; invisibilis, ignotaque erat, ac ferè ex infantibus, paucisque adultis ad antra, & tenebras damnatis coaluit, si fides habenda Lutheranis, & Calvinianis. Quid ergo? cum Baptismo ceremonias, legem, dogmata acceperunt, quæ Romani eâ ætate soli conspicui, soli ex Sacramentorum ministratio, prædicationeque legis divinæ gentibus cogniti, à Christo, & Apostolis dictata tradiderunt. Perspicuum id faciunt Monachi, & Antistites, à quibus sacro latice tinet: Papæ, quorum auctoritate Monachi, & Antistites ad tingendas missi: denique ipsa confessio adversariorum.

157. Romana, à Lutherana, Calviniana, à Unitaria, Pietistarū, an Anabaptistarū dogmata sint professi maiores nostri, dum paganos exuerunt, dubitationi locus non est. Adalberto Pragensium Antistite, Gerardo Monacho, à Papa missis Magistris, didicere Christiana instituta: Româ diadema titulumque Regium exorârunt: Romanus Pontifex Apostolum appellavit gentis nostræ Principem

cipem: Ut prodeunti in publicum Crux,
 heu nimirum exosa Calvinianis ac Unitariis!
 præferatnr, potestatem fecit: Princeps Sedis
 Romanæ se, Gentemque suam, Cœlorum
 Reginæ Regnum, æterno jure in fidem, ac
 clientelam tradidit. Quot Sacerdotia in-
 stituit? quam ampla Monachis claustra ex-
 truxit à solo? quanta vestigalia attribuit?
 Secuti Principis exemplum reliqui, cum vi-
 verent, & ultimâ voluntate, quam liberates
 census iisdem donârunt? An hos crede-
 mus Lutheranos, Calvinianosque fuisse,
 quæ id genus pia liberalitas superstitione, sce-
 lerumque materies, & occasio est? Quæ
 dictavit Romana pietas testamenta, legata,
 beneficia Atavis, corruperunt Nepotes Lu-
 therani, Calviniani, Unitarij. Tot Eccle-
 siarum, Monasteriorumque opes diripuerunt
 non alio, quam novæ Religionis iure. A-
 vos nostros Religio perpulit, ut sua viris
 sacris largâ manu impertirentur; Postero s-
 hos Religio sollicitat, ut opes DEO in Mi-
 nistris consecratas usurpent, alienis ditef-
 cant. Sed missa hæc faciamus.

158. Sub Annū Christi 999. in di-
vinam Ungari legem jurārunt. Tunc Sec-
tariorum opinione haud immodecē super-
stitionibus, acidololatriā poluta erat Ro-
mana Ecclesia. Ergo majoribus nostris
Ecclesiæ Romanæ fidem, morēsque ample-
xis, nunquam salutaris fidei sol illuxit, nun-
quam posuērunt, sed permittārunt Idolol-
atiam, nunquam verē ac propriē Christia-
ni, semper genuini Idololatrá vixerunt.
Nullus ad annum usque 1517. in cœlestes
sedes receptus, nisi idololatriæ foribus ta-
minati eō irrepserint, unde DĒUS, quid-
quid inquinatum est, aetet. Omnes post
receptam Christianam disciplinam perinde,
ac quoad Martem Ethnicorum ritu venera-
rentur, & Christum ferro, ac igni in Disci-
pulis persequerentur, æternū periēre. Non
dispar sors est Patrum vestrorum Saxones,
si quintus Evangelista Lutherus, si ipsius
Evangelium non imponit. Saxones enim
qui colunt Angliam circa annum Christi
600. qui insederunt Germaniam, & ab
his vobis origo, circa 780. legem, & sacra
acceperunt à Romanis, dum iij pudendis,

plectendisque erroribus gehennâ, implicarentur, si sectæ vestræ fides.

159. Heus Ungari ubi generosa indoles, ubi pietas in Parentes? ubi calumniæ impatiens animus? Saxonæ tam fædâ commemoratione progenitorum cineres inquietatis? Numquid Lutherani, Calviniani, Unitarij vestrum agnoscitis adagium: Ex disciplina Parentum liberis vita instituenda, Religio genitorum dimittenda non est, in qua quis fide natus, ac enutritus, moriatur in ea? Si aliis nominibus Romanorum Religio cavenda non esset, quod charissimos Parentes impiè orco addicant, æternâ damnent ignominiâ, si qui ad eos à vobis transiunt, cane pejus, & angue caudam aitis. Si ita, eccur' totam retro memoriam gentis vestræ ad eandem cum Idololatris in æternum damnatis fortunam? Parentumne famæ magis consultum ibitis, quā ipsivestris, suisque avis consuluerunt? Divos Stephanum, Emericum, Ladislaum, Elizabetham cum tot exemplis integritatis, fidei, & æquitatis, quot per quatuor Sæcula recenset Gentis nostræ Historia, putatis

tatis potius damnandos , quam nuperos homines , nullis gestis insigniores , quam Religionariis bellis in Christianos ? Stephāi , Ladislai , Andreæ , Belæ , Ludovici , Corvini &c. Christianæ libertatis vindices æternū periēre ; hi , nōstis quorū satellites , conjurati ad cædem fidelium , obtinēt beatas sedes ?

160. Utinam hanc mentem Lutero , Calvinο , Blandratæ indidisset DEUS , ut abhorrerent spreto sæculorum consensu , & sanctissimorum Patrum de DEI verbo constanti sententiâ , sua pro Oraculis somnia adorare , ac orbi obtrudere , quam vobis indit spiritus , ater an albus , non definiō ; ut censeatis nihil recedendum à vestigiis Parentum , tot verò clarissimos maiores ad erebī tenebras detrudatjs , ne obscuriorem unum , alterūmve generis vestri damnetis , nunquam in tot Sectas distracta fuisset Ecclesia , nunquam Europa prognatas ex hac scissione , velut è pyxidæ Pandoræ , tot tantásque calamitates duo sæcula exhausisset . Quod adversarij in ea fide moriendum esse censeant , in qua quis

natus sit, non satis assequor, nullam enim
recens natorum fidem novi, quia nullam,
præter irrationalem, sine usu rationis fin-
gi, & secus, ac absque ratione, recens natis
rationem tribui non posse censeo. For-
tassis Parentum fidem liberis ad salutem pro-
delle innuunt, & quod timidè nonnulli
profitentur, significare volunt, ad salutem
non esse necessarium, ut sacro fonte tin-
gamur, & Baptismum puram putamque
cerimoniam esse, quæ nihil gratiæ, ut sa-
lute potiamur, necessariæ causet. Hanc
esse adversariorum sententiam non levibus
conjicio indicijs. Sed an Christianis fe-
renda? an digni, qui sic de Baptismo Christi
sentiente, ut in numero Christianorum
censcantur, in medio vivant?

16 f. Nemo hæc dicenti succensat:
Nibilo pluris baptismum Christi quoad na-
suram rei, quam Joannis, fecit Lutherus,
ceremoniam. Si habeas recte: Si careas,
nihil damni: credere salvus es antequam ab-
luare, inquit, adversus Cochlaeum. Insi-
stunt exemplo Magdeburgici: Postius quam
Sacramento Baptismatis quidquam tribua-

mus, demus inesse fidem ipsis infantulis, quā serventur; cuius fidei pulsus quosdam abditos intelligant. Itanc verò pulsus fidei intelligunt, qui vivant, nec ne, non dum intelligunt? Ne id fateatur Lutherus præstat, inquit, omittere, quando quidem nisi credat infans, ne quicquam lavatur.

162. Nec facta discrepant à verbis. Summa cum oscitantia, nulla curā ritūs sanctissimi omniævo Christianis, hoc salutis Sacramentum ministrant. Aderat Præfectus castrorum Santamur, dum infantem medio in templo nonnemo ablueret, Pastor ex umbone alterius functionem suam falsò diccret pronuncians: Ego te abluo in nomine &c. Aderat aliis, quod se inspectante gestum, quandolibet confirmatus, dum Pastor è grabato ablueret, nil autem diceret, quid, cujusve auctoritate operetur. Negligentiae tardius coñonitus, ommissa enunciavit verba: Ego te abluo &c. addens nihil interesse, sive proferantur, sive negligantur. Vehementer offendit tanta oscitantia Ungaros, quod dubitari posset, num ex vero Christianum no-

men ferant, adeò vñcordes in obeunda ceremonia, ad initiandos Christo institutā, quibuscū sanguine, affinitatibꝫsq; jungerētur complures. Hæc porrò ratio tanti momenti visa est Augustissimo CAROLO VI, ut Anno 1731. die 2. Martij hanc perferret legem: *A catholicorum Ministri - - - ut constet, num suos rite baptizent, seu ad validè baptizandum sufficienter sint instructi etiam visitationi & examini Archidiaconorum Catholicorum subesse debebunt.*

163. Quæ haec tenus dixi de conscientione seculorum, sapientum, Sanctorū, ac Gentium, nolim eo sensu quisquam accipiat, quem Adversarij malignè Romanis tribuunt. Nolim, ut ullus existimet, alius cuius mortalium innuere me velle tantam esse sapientiam, & Sanctimoniam, ut nec falli, nec fallere propter eam queat. Non id ago, ut ob auctoritatem hominum aliquod dogma credere allaboremus. Nunquā erat ea mens Romanorum. Quod contendō cum Romanis, est: In quocunque dogmate credendo, ceu verbo DEI consentiunt lapsa secula, sapientes, sancti, & addu-

adductæ ad Christum gentes omnes, pru-
 dentem dubitare non posse, num tale dogma
 sit DEUS effatus; quā hi sacris literis adhi-
 buerunt interpretationem probandam, con-
 trāriam paucorum recentiorum ineptè,
 ac temere collaudari: Si Calvini Lutheri-
 ve opinionem, vel explanationem verbi
 Divini, repugnantem confessioni Chri-
 stianorū seculorum, Sapientum, Sanctorum,
 & gentium veram esse continget, quod
 tamen planè omni verisimilitudinis co-
 lore caret, temere facturū, qui assentiretur
 Calvino præ sapientibus, sanctis, gentibus
 priorum seculorum, quod penitus incredibile
 sit, Calvinum, aliūmve ejus æqualem di-
 dicisse, quæ ignorârunt priora secula, vel
 his in pernoscendo sensu scripturarum vera-
 ciore spiritu Magistro usū esse; id eirco si cū
 SS. Patribus adversus Calvinum aliósque nu-
 peros, ac nullis decoribus illustres quis sen-
 tit at, tametsi erraret, nihil in rectam ra-
 tionem commissurum, adeoque nunquam
 reprehensionem ullius commeritum: de-
 dum credendum quidem firma fide esse,
 quod prioribus seculis à probis Christianis

credebatur, non oportere tamen credere propterea, quod id seculis prioribus creditum sit ab hominibus, sed quod a DEO sit orbi manifestatum, de qua manifestatione suapte nobis ignota, siquidem nostrum nemo DEUM loquentem audiit distinctè, certos nos satè reddit consensio probatissimum seculorum.

CAPUT IX.

Quàm pateat latè Romano-rum Religio. Quot & quantas inter aerumnas superiora duo saecula stetit, crevitque in Dacia.

164. **N**on rationibus, non historiâ opus, ut Romanorum Religionem toto orbe tradi, atque ex eadem mores institui doceatur. Res est notissima. Extendit se, Lessy verba reddo, ad omnes gentes, & ad omnia regna. Nullum enim regnum, nulla gens nobis cognita, quæ banc Religionem vel non habet adhuc, vel

vel aliquando non habuerit, vel modo non
incipiat babere. Imò hoc tempore penè
apud omnes gentes est publica Religionis
nostræ professio. Nimirum apud In-
dos, Persas, Tartaros, Turcas, Afros,
Brasilos, Peruanos, Mexicanos &c. Omni-
bus enim his locis reperiuntur Catholici, re-
periuntur templa, altaria, imagines Christi,
& Sanctorum; celebratur Missa, admini-
strantur nostra Sacra menta, servantur fe-
sta, & jejunia; denique servatur publicè
Religio Romana. Cui dubium esse possit, eam
esse veram Religionem, & veram salutis viam,
quam Dominus omnibus regnis proponi, &
prædicari voluit; quam in omnibus regnis
tempore congruo crescere, & fructificare
fecit, & quam etiamnum ubique aliquo mo-
do conservat, efficiens, ut Catholici per to-
tum orbem sint dispersi, ut infideles per il-
los ad veræ Religionis notitiam pervenire
possint.

165. Hæc verò Religio tam latè pro-
pagata, atque ab omnibus recepta genti-
bus etiam num sanctè retinetur maximas in-
ter calamitates, inumeras inter cædes utri-
usque

usque sexiis, & atatis omnis. Ethnici & Judæi præprimis, tum hæretici turcis interdum adjutoribus ad extirpandam ferro & igni conspirârunt. Quid multa commorem? Unum alterumve è superioribus relegamus sæculum. In domesticas clades reflectamus oculos. Statim ac Lutheri, Calvini, Serveti Evangelium Daciæ illatum est, Petrovicsius Romanos stigmate notare ausus. Saxones in Collegia Sacerdotum, & DD. Francisci, ac Dominici Alumnos Cibinij, Coronæ, alibiique irruere, è sedibus ejicere, supellectilem, vestigalia usurpare, quibus inde etiamdum incubant. Per idem tempus Antistitis, & Collegij Alben-sium à Divo Stephano Anno M. III. lautissima cum dote constituti castra, prædia, vi-ci in fiscum redacta. Bistricziense, Regnense, Coronense, Kisdense, geminum Cibiniense, duarum Sedium, Collegia, eadem calamitas involvit, nevè unquam ad legitimos redeant Heros decretum. Plurisque plures vicenis, tricenisque; Kisdenzi octo, & quadrageni cum Segesberga, nulli pauciores, quam Coronensi, decem

ac tres pagi minerval pendebant. Singula
pedo ac mitra venerandus præsul rexit. Par
avaritia Kolos Monostoriense Claustrum
S. Benedicti Clientum vocibus laudes divi-
nas die ac nocte concinentium eousq; cele-
bre, cum pagis quadragenis, asceteria sa-
cratarum DEO Virginum complura cum
necessariis redditibus tunc hausit.

166. Quid singulatim calamitates
acerbissimi temporis percenseam? A no-
vitijs Religionibus illico, ac extinto Prin-
cipe Joanne seniore habenas Imperij pre-
henderunt Annô 1565, Romani universè,
sacri juxta & profani, Discipuli cum Ma-
gistris, priusquam Isabella ad Rempublicā
regendam adesset, lege extra solum patrium,
tot sacula objectu corporum adversus Tur-
cas defensum, relegantur. Quidquid jure
optimo possedere, ut eripiatur, delibera-
rum. Neque satis erat diripiisse fortu-
nas, ejecisse domo, sitis quoque Roma-
ni saguinis feroces incessit. Longè clarissimū
liberaliter propinavit Balthasar Mikola, Il-
lustri, ac vetustissimo genere, Divi Francisci
Alūnus, & Cœnobij moderator, præ foribus
sacræ

sacræ ædis in Platea, quā luporum vocant,
unitariorum ferro cæsus exeunte sæculo 15.
Franciscus Albenfium Antistes, pulvillis in
Colos Monostor spiritu intercluso, necatur.

167. Corroborata cædibus ac rapi-
dis utcunque factione, si corroborari po-
test, quod fundamento caret, sectar o-
rum communi nomine Societas JESU ejecta
Annō 1588. Atributi ad alendam census,
Batorea liberalitas, adempti. Crimen erat
attollere palam salutare Crucis signum:
Crimen publicis supplicationibus opem Di-
vinam implorare: Crimen Doctrinam Ro-
manam explicare, atque ad profitendam
auctorem, hortatorēmque esse, & crimen
quidem usque adeò tetricum, ac atroc, ut for-
tunarum omnium jacturâ, exilio multandū
contenderent pro tribunali Romani Princi-
pis, imò ut Romanus ipse Princeps mulctet,
semel, ac iterū, cùm in verecundia precum
rejecta esset, urgerent non Romani. Quin
tumultu, minis demum perfecerunt, ut optimus
Princeps Sigismundus, invito, & impro-
bam accusationem aversante ore excedere
Daciâ debere ediceret Magistros meliorū,
ut

ut ajebat morū, ac disciplinarū, institutoresque suos, tametsi nōset innocuos, & verbo ac literis sancte contestaretur, *Sicut Religionis, & pietatis ratio postulat munere suo perfundatos, dignosque, ut omni gratiarum genere à se in regia cumulentur.* Vide diplomaticam historiam Pag. 12. Unitariorum crudelitate iterum Emanuel Niger e-jusdem S. J. Alumnus cecidit non multò post: Pater Majorius grave vulnus capite accepit, reliqui ejecti Claudiopoli, libros fortunas, sacram ædem, domicilium Unitariis cessere 1603, Calviniani hodie retinent. Hartus insidiis petitus, interiit, cùm ad finiendam inter viros nobiles litem amicâ compositione, properaret.

168. Bocskaius armatam in Ungariam Romanæ Religionis odio infudit Daciam. Si omnes in Dacia Soc. Jes. ferrent, se non laturum, palam dejerabat, quod diligenter, ac vellet, conservandæ, augendæque Religioni Romanæ studeret, nec parcè studio eventus respondeat. Tantum juris in Romano, ab Ungarorum accessione ad Christum, solo, adversus regum repetitas le-

ges, minas, decreta irrumptentes novatores usurparunt, tantū audaciæ 40 Annorum spatio collegerunt in Romanos. Donec non regnaret Gabriel Bathori, in sacris ferè viris constitit sectationum sævities, profani in Magistris oppugnabantur, ferè nîl præter publicorum munerum jacturam passi. Unus Stephanus Kataj à Bocskaiianis indictâ causâ minutim Cassoviæ concisus est, quod magnum porrecti Bocskajo veneni indicium acuti homines crediderint, Romana sacra, abjectis Calvinianis, haud ita pridem ab eo suscepta. Gabriel Bathorius primus sine discrimine sacros ac profanos, queis Religio Romana nitebatur, designavit ad cædem: in utrorumque fortunas, domos fecit repentinus impetus. Balthasar Kornis ægrè impetravit, ne plagis concisus indictâ causâ è vestigio raperetur ad supplicium, Nobilitas pro viro charissimo supplex, & ad Bathorij pedes advoluta, ut in longinquam abductus arcem, tardius pereat indefletus, & ignotus, perfecit. Senex primariis in regno muneribus funetus, quia reliquis mœrore defixis innocentiam Balthasaris

& Romanæ æquitatem causæ defendisset in Comitiis, statim ante portam civitatis è patibulo pependit. Cæterorum cruce infectum gladium barbarus Princeps ad Calvinianum Antistitem misit, admonens, ut hoc exemplo in Papistas sæviret.

169. Quid alter Gabriel Bathorio Bethlenius successor? æquiore in Romanos Dacos animo videbatur, quin Beatæ Virgini MARIÆ in Kolos-Monostor dicatum, & mandato decessoris clausum templum augustius patere, sacris ritu Romano faciendis, jussit. At extra Daciam cædebat alios, in miseram turcarum servitutem alios, gentiles quoq; Ungaros, abstrahebat. Marco Crisino è Collegio Strigoniensium Sacerdotum præcipuo: è Societate JESU Stephano Pongracz, & Melchiori Grodecio Cassoviæ: aliquot canonicis Agriensisibus Jassoviæ, fabiis admotis, & clavâ ferreâ hujus satellites vitam eliserunt. Sanxit ut æqua sit nihilo minus Romanis, quam cæteris libertas sacrorum, communes omnibus honores. Sed quam præpostere, quam

Iniquè, nam ità, æquam libertatem non Romanī sunt interpretati, ut terna è millibus ærc Romanorum structis Romani, reliqua per vim crepta, qui cripuerant, templar retinerent: Ut non Romanis Urbes, pagos, domos insidere, permiscere omnia licet: Romanis contrà Sacerdotibus ad morientes quidem in urbibus adeundi, non tam
men vel per noëtem consistendi, in quibusdam ne vestigium pedis unquam figendi quacunque ex causa, facultas esset; profanià Magistratum subsellis, à Collegiis artificum arcerentur. Præsides sacrorum novorū ærc publico alantur, Romanorū Antistitū ne nomē toleretur. Quicunq; literis, & legi novæ exponendæ idonei creduntur, undevis optare, & advocare jus esto; Si Romāus suæ Religiōis magistrorū nō incausarū criminaliū quæsitoribus non edixerit, si quēquā recto acceperit, bonis spoliātor, Patriā ejiciuntor, sunt leges Calviniani in Dacia regni.

170. Regnante Apafio magnis impendiis à Romanis structa, & Divinis ritibus consecrata, patuère Unitariis, & Calvinianis Templa, ne militibus quidem Leo-

poldi Mag. ad res Divinas ritu veteri obeundas amplius, quam humile, arctumque conclave indultum est Claudiopoli. Cum angustiae paucos admitterent, deciduum sub aperto Cœlo imbre reliqui corpore excipiebant, si operanti ad aram adessent. Cautum ne ex hoc tuguriolo multos passus pietatis causâ supplices DEO excederent. Sed & intra paucos passus jaeta in supplices saxa impune meminerunt viri primi ordinis. Idem Apaffius legibus Rakoczianis, ne Sacerdotibus subire quædam oppida solandis Romanis cum morbis, & morte luctantibus, integrum sit, pœnas addidit usque adeò graves, ut Fogarasinum penetrare tentaturos, de ponte in præterfluentem vellet præcipites. Enyedinum & Maros-Vásárhelinum, cœu devotissima Calvinio municipia, ipsi etiam plebi Romanæ, interdixit.

171. Attamen debent ei nonnihil Romani, quod magistros, & scholas eorum Civitate Claudiopolitanâ donârit. In Apaffij tempora flos nobilium adolescentum fidei causâ muris Claudiopoleos exclusi po-

litteres literas, & morum præcepta à Magistris accipiebant in Kolos monostor, vicino aduersus haud procul dissitos Turcas Varadinenses, & Tartaros amicorum æquè, ac inimicorum libertati, Religioniique præcipue, tenerioris ætatis insidiantes, nulla ab hominibus, aut à natura communito arte. Erant certissima barbarorum præda, in diram servitutē raptandi seu die, seu nocte accurvissent latrones. Sed perstitere incolumes sīn summo discrimine divinæ providentiæ præsidio nolentis spem sinceræ Religionis, cœlū in herba uberem messem, succidere, si in Christiani nominis hostium potestatem innocua ætas venisset. Nec rapinis omnem Christianorum regionem exinanientibus, deerat voluntas ad invadendam, sed mentem designandi sceleris propitium suis Numen eripuit.

172. Nil divinis, humanisque legibus consentaneum fingi magis potest, ubi æqua est omnibus libertas, idem omnium jus, ac ut quique fructuum agri partem alendis suæ Religionis Mistis repræsentent, quando alio, quam rerum divina-

rum nomine, nulli debentur; ne ullus ab honoribus, & Magistratibus arceatur, sed cum Respublica Magistratus mandari idoneis ad imperandum flagitaverit à Princeps, Romanorum quoque ratio habeatur, si virtute, & solertia ad res gereendas cæteris inferiores non sint; placita leges, statuta oppidorum, urbiūmve adversūs latam uno consensu à Regno legem aequæ libertatis, confestim aboleantur. Æquissimum profectò est, ut non iniquus Civis hæc suæ apte velit, præstetque; ut moniti secus quosdam velle, ac factitare non ferant publicæ legis injuriam, temerarios ne patiantur grassari in jura aliorum. Qui ista monentibus aduersarentur: qui aliter faciendum contenderent, execrationem omnium mererentur. Quid significatū velim satis appareat. Meminimus, quos Romani in Dacia haud ita pridem saginare agrorum fructibus debuerint: quæque, de arcendis à Magistratibus, leges perlatæ sint ab uribus, & oppidis. Cùm imperaretur, ut abrogentur; Romanos Romani sacerdotes alant, tam aequæ Principis voluntati,

quam acriter, ac diu nonnulli obluctati sunt? quot mandata oportuit dari, ut obnitentes ad æquitatem, officiumque cogerentur? hodiecum nè refigantur, quæ adversus Romanos iniquè statuta sunt, ne injuriis oppressorum alienâ potentia finis statuatur, quot artes, machinaque expeditjuntur? Atque hæc est illa, quæ ambitiosè interdum prædicatur, vetus Dacorum non Romanorum in Cives Romanos facilitas, hic profusus ad fovendos beneficiis animus. Qui tantam acerbitatem vocant facilitatem, tot injurias appellant beneficia male in Romanos collocata, quid Romanis facerent, si parem voluntati divexandorum nasciscerentur facultatem? Nec multis, quod Elisabetha quondam in Anglia, Calviniani, Lutherani, Unitarij in Dacia adversus Romanos perfecerunt: Divitibus nummos, libertatem integris, Magistros Veritatis plebi, honores Nobilitati, vitam compluribus eripuerunt.

173. His cum calamitatibus conflictata Religio, an idecirco extincta? duo deviginti Principes Calvini Asseclas, omnes

nes præcipuis Magistratibus perfunctos ; Calvinianos, Lutheranos, Unitarios omnes, invicta acerrimos adversarios sustinuit. Non negaverim euidem nonnullos desperatione publicorum munerum, impatiens tot calamitatum abjecisse fidem, sed & eodem tempore è Calvinianis, Lutheranis, Unitariisque, & Schismaticis in iura Romani Pontificis concessere partim valentes, florentesque, partim è morbis, ac sententia Judicium propinquiorem mortem prospectantes non pauci.

174. Vix Daciam tenuit, à Leleszio è Societate JESU Annô 1579. vacillantes in palestra firmatos, ad deserenda novatorum castra, & consecrandam meliorem militiam, narrant incitatos literæ Christophori Bathori ad Stephanum Fratrem innumeros, & quo scriptæ sunt dic quidem Unitarios quadragenos. Alius in Fenes quinque ac tricenjs ; Udvarhelyini quinquies denis supra centenos, atque in his Matri cum quinque filiis : Claudiopoli claro genere ternis mulieribus, Martiæ in dote præterea geminjs Adolescentibus,

aliis universim quatuor supra nonaginta e-
andem mentem indidit. Haud minorem
Anno MDC. veritati gloriam, Romanis
partibus incrementum attulit Pagus Clau-
diopolitanis JESU sociis obnoxius. Olim
veri, rectique tramiti institit. Sed quia
non quâ eundum, sed quâ præcederent
plures, recogitabat, in Labyrinthum er-
rorum descivit. Inde per sacerdotem So-
cietatis feliciter eductus, temerariæ eva-
gationis labem mutatô opportunè propo-
sitô abstersit. Nam statim ac dictioñem ad
confertos Nobiles, & plebem Sacerdos ab-
rūpit, ut antiquam legem post tot adver-
sos vitæ, ac fortunarum casus, resumant,
uno ore conclamatum: ut Claudiopoli in
tertiam quámque hebdomadem Sacerdos ē
Societate JESU arcessatur: ut ædi ad res
Divinas moliendæ æs, operæ actutum pa-
rentur, constitutum. Unicus Consilio in-
tercessit. Reliqui nî resipiscat, aquâ in-
terdicendum, subito quovis in discrimine
destituendum ope, denunciârunt, & si
quis laboranti adversùs sanctiōneē publi-
cam opitularetur, mulcta dictata.

175. Mutavit sententiâ cognitâ, immò damnavit, ceu parum meditatum consilium is quoque, & se se ad faciendum ædi sacræ initium adjunxit. Facile quadrageni Annô MDCIV. recentes sunt detectati errores. hos inter centurio, altero, quām meliora recepisset sacra, mense, supremum inter solatia diem vixit. Mulier Virum importunè urgentem, ut amicitiam cum Romanis rescindat, dicto, ut conjux non DEUS mihi essem, tibi despensa sum, repressit. Lutheranus catenus, condita in sinum pendentis è Cruce Christi effigie, alteram spectante populo piè deosculans, iit ad destinatum ultimo supplicio locum. Ex Arce Gerend toti Sigismundi Sarmasági Familiæ, Pagóque, à tribus de Societate JESU errores exempti sunt. Pro Concione defigebant anathemate Minjstri quotquot faciebant liberis potestatem, ut adjrent Societatis scholas. Nil certius, crebriusque narrabatur, ac omnes Romanos de medio sublatum iri, bellò confectò, quod pro Religione ab Bocskajo gerebatur. Attamen nec ingeminata, haudlevi

manu, verbera, nec injecta vincula, à scho-
lis, & sacris Romanis avellere poterant
puerum trium & decem annorum. Quin
detractam corpori vestem Matri reddidit,
dum ad arcendum frigus, tolerandam vi-
tam, nisi mentem mutet, inhumana nil sub-
sidij se præbituram dejeraret: Paternjs lari-
bus etiā, Fratri, Matri, Sorori supremum di-
xit vale, quibuscum Romano ritu venera-
ri DEUM non licet.

CAPUT X.

*Quis ad constantiam in ve-
tusta Religione Romanis, ad am-
plectendam reliquis tantos an-
mos inspiravit?*

176. **D**Um Sanctam Doctrinam Dacia
sic oppugnat, prodigia eam
firmabant, commendabantque. Hostis ho-
minum alicui jam muscæ, jam juvenis,
jam mulieris specie nimium quantum in-
festus erat. Pectus, nares, caput, ali-
os

ósque artus misere ex ordine insidebat, ut
que abrupta Matrimonij fide conjugem de-
serat, urgere non cessabat. Ergo Albam
ad Calvinianos abiit adversus Erebum o-
pem efflagitatum. Candidè, ut viros bo-
nos decuit, nullam Ecclesiæ Calvinianæ
vim, potestatémque ad coercendos spiri-
tus tartareos fassi, monuere, si revelari
cupiat, Societatis JESU Sacerdotes inter-
pellandos esse. Ut est patiens Consilij mi-
seria, paruit monentibus. Valuit exem-
plò ad reprimendam inimicam vim pœni-
tentiae, & Eucharistiæ Sacramentum. Vix
peccatis solutus, & Sacrò Epulò pastus,
nil in Romanum adversi molitus est, qui
mirè torquebat Calvinianum, aernalis
Genius.

177. Mulierem, cùm dicentem ad
confertam Concionem audiret, inspectan-
tibus multis, idem rapuit, raptavitque per
saxa, ac flumina. *Quid faceret tam vali-*
di hostis præda? Insuetum eatenus telum,
Crucis Christi signum, arripuit, inimicam
vim profligavit. Albâ, in jugo montis
tria passuum m̄illia procul, relictâ, post-
quam

quam rediisset domum sub noctem, cùm ab averni, tum à Calvini potestate se se explicuit. Expiatam à peccatis nunquam tartarei prædones invaserunt. Cælestis agni cerea bulla ad comprimentum incendium domum hauriens: item ad depellendum atrocem morbum; tum manus à Sacerdote capiti impositæ, & illa verba: *super ægros manus imponent, & bene habebunt;* demum votū non edendi Carnes feriâ sextâ, & Sabbatho, Mulieri Calvinianæ ad recuperandas vires, quo nescio, malo, prostratas, perditas valuere.

178. Num Symbolum corporis, ac sanguinis Christi, num ipsum corpus, ac sanguis, sint in SS. Eucharistiae Sacramento, non alteri, ac dubitanti conspicua semel, atque iterum candida columba, dum in sacrificio attolleretur venerationi fidelium hostia, exemit dubitationem. Operenti interpretes globulis numeratas, nocturnam psalmodiam, ante solennem memoriæ nati servatoris horam, Cœlestis genius formâ adolescentis augustiore, quam humana esse solet, globulorum inter se

con-

consertorum, gemmisque bacchatorum decem, ac quinque catenis allatis, totam ædem diviniore luce implevit, ac disparuit.

179. Sed & luctuosæ mortes duorum Serveto deditissimorum auxerunt Romanis animos ad constantiam. Alter fratre, Unitariorum in schola non postremo, hortatore à recte cæptis desciverat; contumeliosis infelicis consilij auctorem vocibus lacepsivit moriens. Tuo inquiebat, syas, tuis precibus adductus Serveti commenta complexus sum. Me miserum! rapior ad Orcum æternis mactandus supliciis! Meruit mea inconstantia, ut sic peream. Hem Dæmones infelicem obsident, omnem implent domum, ut rapiendam in orcum, exhalem animā, operiuntur. Non Erebi turba, sed Cælestes genij, quos intueris, sunt, bonō esto animo, reddidit frater. Infremuit ille, & nullo, peccata dolentis, edito signo, vocem cum vita ammisit.

180. Alter erat super intendens. nocte sacrâ annuæ orti servatoris memoriae, multa blasphemè pro concione in JESUM,

non pauca in ejus Societatem evomuit. Animos Claudiopolitanis ad ejiciendam faciebat exemplo Varadinensium, & Gyaluiensium, qui Sacerdotes nullo suo periculo movissent loco. Secundum concionem oppressus repente miorbo, sine voce tri-duo decubuit, & inter graves corporis cruciatus occubuit, vel potius ad atrociores animi cruciatus translatus est. Dolebat Unitariis jactura tanti viri, non tamen agnoscebant vindicis DEI manum. Dolebat Romanis quoque sempiternum hostis extitum. At erigebant se se ad constantiam cogitantes, in tanta acerbitate temporis se ac suos curæ DEO esse.

181. Longè aliter mulierem in partibus Romanis confirmavit maritus Literarij ludi, qui novatoribus in Darocz apertus est, moderator. Cognati, amicique urgere permolestè non cessabant diu, ut in sectam conjugis transcat. Obsequetur, an obsisteret incerta, per me dicebat ad Maritum, non stabit, quin Roma-na sacra deseram. Meum Religiones examinare non est: regere familiam: viatum
cti-

etiam, siquidem in opes DEUS nos esse voluit, labore querere meae sunt partes. Majorem in modum rogo, obtestorque, ede probandam, an improbandam Romanam Religionem, aliam salutarem magis, vel minus, & quam censes? illam, si dignam, ut deseratur, sincerè dixeris, si aliam magis probaveris, probabo judicium, sequar consilium. Accepta vir silentij fide Religionem Romanorum maximè salutarem, verissimamque omnium dixit, in hac perseverandum, dum spirat. Cur, excepit sapiens mulier, non amplecteris, quam summè probas Religionem. Materi emper molestis, subjecit maritus, de me sermonibus præbebo, è statu vitae satis tenui, redigemar ad extremam egestatem accisis scholæ censibus, si, ut probo, ita sequar meliora, non deteriora consilia.

182. Hæ Divinæ testificationis, à qua parte stet veritas, & severitas in hostes Sanctæ Religionis exempla, Romanis constantiam ad superandas durissimi temporis difficultates, non Romanis alacritatem capessendi sacra Romana attulerunt.

CAPUT XI.

Quid per idem tempus Japones, & Angli Romanæ Religionis causâ toleraverint.

183. **D**um sic in Dacia Romana Dogmata premerentur, & efferrarent se se, Ethnicorum crudelitas Neophyti Japonibus eadem exilio, rogis, cædibus eripere frustra enitebatur. A pueris, & senibus, proceribus, & plebeis, edita longè maxima constantiæ exempla. Dum Seniori Giphojo Kakisaimonus decretam Religionis causâ mortem, obortis lachrymis, referret, moneretque, ut mater filium, se suos servare curet, nam impiæ Japonum leges eodem omnes ex familia exitio involvunt: si unus censeatur reus; reposuit Christiana mulier: recte nobis consuleres, si leve, & hujus temporis negotium ageretur. Sed cum agatur æterna salus, ac vita, non possumus illam perituræ citò viæ, bonisque fluxis non anteferre: invi-

den-

dendam filii mei sortem, non lugendam puer
to; neque aliam mibi scilicet, ac meis op-
tem. Illum quām primum sequi summa vo-
torum est. Simon verò Jecicavam con-
sanguineum sententiam necis deferentem,
& accinctū ad perimendum (nām honori
Japones ducunt nobilium, & affinium fer-
ro potius, quām tortorum cadere) arctissi-
mè complexus, isto me nuncio, inquit, beas-
tum Deum clatā voce aliquantis per, mox
tacitā mente deprecatus, ad matrem, & uxo-
rem videte, ut praeuntem fortiter sequa-
mini. Demū in aulam scenæ lugubri destina-
tā mœstā perfusas lātitia deducit. Stabat inter
accensas faces media imago Christi spineo
diadematē redimiti, cuius ad conspectum
procidens fortissimus Juvenis, fusis rursum
precibus, detractam de collo thecam sacra-
rum reliquiarum matri; globulos aliquot
consecratos uxori dat, ac rebus omnibus
compositis Christum demissā in terrā fron-
te suppliciter veneratus, nudatum humeris
tenus explicat caput, quod uno ictu Jeci-
cava decussit. Māter filii cervicem cruen-
tam svavissimè deosculata, & in præclaræ

necis laudes effusa. Accurrens pariter uxor dulcissimi sponsi caput repetitis osculis excepit, ac lacrymis suis perfudit, beatam se clamans, quod virum haberet martyrem; ac velut cœlo jam receptum obsecravit, ut sponsam ad ejusdem gloriae confortium vocare ne cunctaretur.

184. Vota ex animo concepta super-
ri audivere, vix illuxerat, cum latus ad ea-
rum, & Magdalenæ cum filio lo septem c-
etovè ad summùm annos nato aures acci-
dit rumor, dictam in ipsas esse necis sen-
tentiam. Hic viriles in imbecillo sexu animos
admirari licuit. Ruunt in mutuos amplexus,
gratulantur inter se sc̄e, Magdalena filio lo en-
ait, Cœlum petimus, & per crucem peti-
mus: tu cūm in eam eris sublatus memento
Jesum, & Mariam inclamare, Meminero,
subjicit, ore blando puer; prius me vita,
quam geminum hoc nomen deseret. Prima
cruci est adstricta Simonis Mater. Conti-
nuò lanceam carnifex adegit in latus, nec
illud tamen pertudit: bebetatum mucro-
nem intrepida mulier increpuit, ac Jesum,
& Mariam alta voce iteranti tortor tanto
impe-

impetu bastam incusſit in ſinistrum latus,
 ut transfixo pectore, acies ex humero dextro emerſerit. Magdalenam cum applicarent felici ligno Satellites, accurrit filiolus, utque cum matre necaretur flagitavit. Mater puſillæ cruci alligatum identidem ſubmonebat, ut bono eſſet animo, ut Iesum & Mariam appellare non ceſſaret: ſuaviffima nomina pronunciabat puer, donec ſucceſdens carnifex baſtam vibraret, ſed iſtū levi; infans mirum! neque gemitu, neque lacrymā ſignificationem doloris ullam, aut metūs dedit, dum iſtū certiorem inferret tortor. Magdalena fumantem adhuc filoli ſanguine lanceam toto accepit ſinu. Uxorem Simoniſ, qui necare vellet, deerat: ergo ipſa ſe imponens, aptānsque cruci jacuit aliquamdiu, donec Ethnici ſublime cum patibulo erexerunt, & multib[us] hinc inde vulneribus orantem, oculosque inter hanc laninam, & tristes turbæ complorantis gemitus, cœlo defigentem conſecrē.

185. Joannes & Michaël Gifiachi
 è carcere intelligentes ſui cauſâ ad eſſe Sa-
 credotes, in hæc verba literas dederunt

ad Provincialem Societatis JESU: Intelleximus allegatum à te in aulam Patrem Ludovicum, si, ut in libertatem nos afferat, denunciamus nunquam fore, ut assentiamur. Unum hoc in votis est mori pro Christo. Si, ut nos accedat, excitéque, amplectimur charitatem, & gratias utriusque agimus. Te vero, ac reliquos Societatis Patres obsecramus, ut martyrii candidatos, & tanto indignos beneficio commendare Superis impensè pergatis. Post teterrimum quadriennii carcerem, capit is sententiâ in utrumque diétâ, peregrinæ religionis causâ. Petiit Michaël, ut in crucem tolleretur imitandi Christi gratiâ; Joannes, ut membratim dissecaretur. Dum ad locum supplicio destinatum prope-rant, quærebantur ipsorum liberi, Petrus Joannis, Thomas Michaëlis. Thomæ parentes Martyrii cupiditatem puerulo tantam inse-verant, ut cùm flebili ter vagiret more infantium, placaretur subito, si dicerent, martyrem non fore, neque enim daturum sanguinem, qui lacrymas tenere non posset. Statim atque rescivit indicem sibi necem, lauiores induit vestes, & lictoris dex-

dextræ se implicans orabat , ut moras omnes abrumperet , séque caro parenti siste-ret , cum eo moriturum . Quem ut vidit , adsum , inquit , mi Pater ; simul hodie in Cœlum pergimus . Michaëli caput extemplo amputatur , filium à conspectu cadaveris abducebat centurio , restitit puerulus , & sine me , inquit , in complexu Parentis mori . Flexit genua parvulus , complicuit manus , JESUMq; , & MARIAM blandè vocian-dans cerviculam ferro decisam posuit . Ioannes oculis ad Cœlum sublati , ore læto trun-candum offerens caput , lacrymas & plan-ctum ingentem omnibus excussit . Filio-lum ejus dormientem in aedibus avunculimi-lites invenere ferali cum nuncio , quod ne-cato Patre ipſi pariter effet moriendum . Non turbatus puer , ita se porro velle re-spondit , militisque vestem manu apprehen-dens festinantem sequitur . Locum attigit re-centi manantem cæde , ac paterno cruore fumantem , submisit genua , extulit caput , collum explicuit .

186. Hos aliósque , qui , ut ut com-memoratione dignissimi , compendii gratiâ

premi silentio debēt, ac in Juvencii historia Societatis JESU libro 20. plurimi vide-
 ri possunt, legi Christianæ, non qualem
 Lutherani, Calviniani, Unitarii commi-
 niscuntur, sed qualis à Romanis traditur,
 sanguine testimonium perhibuisse, incla-
 mata JESU & MARIÆ nomina, conse-
 crati globuli, thecæ reliquiarum, vene-
 ratio imaginum luculentí testes sunt. Hæc
 verò in Romanæ Ecclesiæ discipulos bar-
 bara crudelitas adeò non deterruit Ethnicos,
 ne sacra vetita amplecterentur, ut per idem
 tempus ingens numerus ad Christianam re-
 ligionem sint conversi, imò hæc crudeli-
 tas peregrinæ religionis veritatem ob oculos posuit, ad amplectendam cum præsen-
 ti suppliciorum, mortisque discrimine ani-
 mos addidit. Quod enim certius saluta-
 ris doctrinæ indicium fangi queat, quam
 ingenio, moribus, genere præstantium vi-
 rorum, & fœminarum ingens numerus,
 vitam, & omnia, quibus mortales gaudent,
 bona projicere minimè dubitant, ut e-
 am amplectantur. Ergo anno 1599. qua-
 tuor Sacerdotibus è Societate brachia neo-
 phjitis

phitis Sacro lavandis fonte fuere susten-
tanda, ut essent labori ferendo. Præda
Christo Giatzursciri parta fuit capitum
viginti quinque millium. Aberant non pro-
cul arces duæ, Utum & Giaba: utramque
fides expugnavit, ac pristinis triumphis
addidit. Utum quatuor millia felicium ca-
ptivorum evangelico subdidit jugo, Giaba,
duo millia & quingentos. Par in aliis par-
tibus evangelicarum expeditionum successus.
Omnino per hanc pacis infidæ tranquilli-
tatem septuaginta millia hoc anno & sequen-
ti ad fidem accessisse perhibentur. Ita Ju-
vencius pagina 608.

187. Neque minus constantiæ in-
ter calamitates, ac cædes emittuit in Roma-
nis ad tuendum unum articulum, apicem-
que doctrinæ, quâ discriminantur ab aliis.
Parendi Romano Pontifici necessitatem,
summam istius Sacerdotis in quosvis Prin-
cipes auctoritatem, quod ad divinas res, vo-
cavit quondam in dubium Henricus VIII
Angliæ. Dogma hocce adiaphori referunt
in illorum indicem, quæ probari, & im-
probari sive injuria Nunminis, sive jactura

salutis tutum sit. Papæ supremam in
 Christianos omnes auctoritatem Lutheran-
 ni, Calviniani, Unitarji in Romanis, quām
 quod maximè , execrantur. Nihil ferè
 hos discernit ab illis Iuculentius. Ut id ge-
 nus auctoritas Papæ abjuretur ; Regi ad-
 dicatur in Anglia, edictum est. Si qui
 minus dicto obsequentes reperirentur exili-
 um , cædes proponebantur . Et verò plu-
 rimi propè bis centum annos impium in
 Anglia edictum contemnunt. Carceres,
 jactura fortunarum, supplicia , cædes tot
 annos repetitæ , hanc fidem Anglis erripe-
 re nequeunt. Unius Henrici VIII. jussu
 testimonium perhibuere articulo de supre-
 ma Romæ in Ecclesiam potestate immanni
 cæde Cardinales duo , Archi-Episcopi tres ,
 Episcopi decem & octo ; Abbates tredecim ;
 Sacerdotes quingenti ; Decani majores tri-
 ginta ; Canonici septuaginta quatuor ;
 Doctores Theologi quinquaginta ; Duces ,
 Marchiones Comitésque duodecim , Barones
 undetriginta , Nobiles supratrecentos tri-
 ginta sex ; præter reliquam multitudinem .

Ità

Ità Georgius Josephus Eggs purpuræ do-
ctæ libro 4. pagina 442.

188. His luculentè ostensum est non aliis indicijs credibilia, ac credenda esse dogmata Romanis peculiaria, quām omnibus Christianis communia, & Symbolo Apostolorum contenta, aut ad incarnationem verbi divini pertinentia. Unde manifestè consequitur gravissimæ convinci culpæ, quisquis eadem inficiatur, & quidem minoris nihilo, ac qui Verbum divinum esse incarnatum, aliumve Symboli articulum negant. Igitur neutri spem Cœli habere possunt; neque enim Cœlum minimâ etiam labe inquinatorum locus est. Utrique æternūm infidelitatem luent in tar-
taro.

CAPUT XII.

Refellitur, quod ex Diplomatica historia adversùs dicta adduci posset.

189. **O**bstrepit hic diplomatica histo-
ria periodo prima numero 24.

& 25. quod religionem evangelicam (ut or
historiae verbis) nulla vis in Ungariam Da-
ciāmve induxerit , sed plurima pars inco-
larum eam anbelaverit , suspiraverit , &
auditis prædicationibus Verbi Divini , pro-
tinus interiori animi sensu , convicta , &
cum maximo & incredibili gaudio cordis in-
trinsecūmve conscientiæ solatium & tran-
quillitatem inde impensè percipiens in hanc
doctrinam spontaneo , pronoque impetu rue-
rit , eāmque arctissimè complexa fuerit .
Quinimo sub initium statim gravissimas per-
secutiones experti sunt primi hujus doctrinæ
instauratores , & tamen ad istam dese-
rendam nullatenus adigi potuerunt : ut si-
nè admiratione cogitari non possit , per duo
jam sæcula , imò si Hussiticæ doctrinæ tena-
cissimè in Ungaria ultra sæculum ante Lu-
therum conservatæ tempora buc computare
liceat , tria jam sæcula , majorem longè par-
tem incolarum Ungariæ , & Transylvaniæ in
discessu & secessu ab Ecclesia Romano-Ca-
tholica constantissimè perdurâsse .

190. Audio hæc , sed quidtum ? Ergo ,
ajunt , mira religionis evangelicæ propaga-
tio

tio DEO auctore natam indicat, si mira
 Romanæ Religionis inter Gentiles propa-
 gatio jactetur idoneum argumentum DEO
 eam adscribendi. Rogo, an Ungari cum e-
 vangelica, ut vocant, doctrina austeri-
 tatem vitæ, integritatem morum, sancti-
 moniâmque inde manantem amplexi sunt?
 Nam si manantem ex recepta doctrina vitæ
 licentiam, dissolutos mores, libidinem am-
 plexi sunt, non mira, sed flagitiosa est e-
 vangelicæ doctrinæ propagatio, & qualem-
 cunque demum occinant, nihil magis
 quam Mahumetanæ sectæ subita incremen-
 ta, divinam probat, quæ sic augescit, disci-
 plinam. Age ergo qualium Parentem
 morum Ungari disciplinam amplexi sunt,
 dum evangelicam amplectentur? Magi-
 stratum Ecclesiæ, sacratorumque DEO
 virorum facultates dirripere liberum esto.
Quo amplius in hac rapiendi arte quis præ-
 stiterit majorem apud DEUM inibit gra-
 tiam. Sponzionibus DEO jurisjurandi re-
 ligioni adstricti non tenentur. Publico sub-
 dueti, ut expeditius intendant DEO, mun-
 danis se rebus reddant, pietati subducant.

Qui

Qui pompis, fastui, profanis curis laudatam à Christo humilitatem prætulerunt, pompas repetant, fastu distendantur. Jurata jejunia, nocturnæ diurnæque preces ad DEUM, solitudo in claustris sunt superstitiones, retractentur, rescindantur. Sacerdotes, Monachi, sacratae DEO Virgines nullis, seu simplicibus, seu solennibus votis impediuntur, quo minus matrimonium legitimè contrahant. Matrimonium est virginitate multò præstantius. Eam Christus, eam Paulus disuaserunt hominibus Christianis. Lutherus sermone de matrimonio. Quin omnibus liberum est, ut si non habet uxor, aut non possit, veniat ancilla. Idem. Liberum est, ut habeantur flocci pœnitentiæ, afflictiones carnis, orationes, eleemosynæ, statuta tempora, queis religiosius ad Deum redeamus. Omnes actiones bonæ peccata sunt DEO Judice mortifera, DEO propitio leviuscula. Nemo malum suapte voluntate cogitat. Decalogus nihil ad Christianos. Opera nostra DEUS nequaquam curat. Legere preces horarias non est Sacerdotum, sed Laicorum. Idem Lutherus & Charcus.

Lc-

191. Leviora sunt hæc, superest unū,
 quod solum ad beatā immortalitatem satis, in
 quo Evangelicæ Religionis summa quo trū-
 phant, discernunturq; à cæteris ei addicti. Grā-
 de, arduum esse id utique oportet, cùm descē-
 sus averni facilis, at superas evadere ad auras
 operosissimū sit. Quid illud? fides ad salutem
 sufficit. *Quidquid agas, dummodo credas; salv9*
eris. Inde Batavus evangelicorū doctrinā ple-
 nus dicebat ad sociū preces fortè fundētem,
 quid tu sedulo cum hoc precandi more?
 Age, age, sis sincero modo corde, & de-
 sine ab hac orandi meticulosa ineptia. Ità
 Barclajus sæpe laudatus. Nec male, si ve-
 ra est, quam evangelicam adversarii vocant,
 doctrina. Nam si fides ad salutem sufficit,
 si salute potiar, quidquid agam, dummo-
 do fidem retineam, vera autem non sit fi-
 des, nisi de æterna salute certum me red-
 dat, ut novi Evangelici volunt, eccur im-
 petū animi strangamus fide præditi, ne præce-
 ptis contraveniamus? eccur ab alienis re-
 bus usurpandis se se avarus cohibeat, ab
 ultione, à libidine plenus ira, & venere si-
 bi temperet. Hæc sunt elementa evange-

lii, quod auctore Luthero amplexos esse Ungaros post desertum Geisæ Stephano &c. Sanctissimis majoribus nostris aliud ab Adalberto Gerardo annunciatum, plaudit diplomatica.

192. Ut tam tetram religionariæ sanctitatis speciē inducat, aut fuko comodiorem expingat Calvinianorum Catechismus ad quæstionem 64. num ist usmodi doctrina de fide via ad scelera pandat, & fideles in exercitatione virtutum non reddat pigriores, negat in responsione, Christo per fidem consertos gratæ erga DEUM memoriæ, adeoque bonorum operum fructibus posse destitui. Quid hoc hominum genere magis varium? In responsione ad quæstionem 114. utrum DEO conuenti observandis DEI mandatis vires habent pares, nullum omnino ajunt, habere pares, & sanctissimos quosque initium obedientiæ mandatis divinis debitæ non egressos confitentur. Paulò priùs in responsione ad quæstionem 60. docebant tametsi aduersus omnes divinas leges prævaricatos, ne uni quidem obsecutos fuisse conscientia redar-

redarguat, & etiamdum in omne nefas
 affectu ferantur, apprehensa perfidem Christi
 justitia ornari se se sanctitate Christi.
 Præstantiora quæque sanctorum opera
 sordibus peccati inquinata in respon-
 sione ad quæstionem 62. perhibent. De-
 nique nemo illorum immunem à peccan-
 do se censet, imò hominum opera credunt
 omnia peccata, peccata verò omnia pa-
 ria, fide tamen justicante nemo non glo-
 riatur. Prævaricatio legum divinarum,
 affectus ad res vetitas, opera flagitiis for-
 didata, an fructus sunt fidei, quâ gloriamini,
 dum hos affectus, illam prævaricatio-
 nem, præstantiora quævis opera vestra fla-
 gitiis sordidata fatemini? Si omnia peccata
 sint paria, quæ actiones sanctorum inqui-
 nant, stupris ac adulteriis nihilo fœda, aut
 homicidiis atrocias minus sunt. An usque
 adeò fœdis, atrocibusque criminibus Chri-
 sto per fidem conserti gratum erga DEUM
 animum contestari possunt? Numquid
 non manifestum hæc faciunt, esse nihil,
 cur, qui legem vestram amplectuntur, de-
 curanda per opera salute solliciti sint, à

vindicta, libidine sibi temperent? Quid enim? si præstantiora Sanctorum opera peccatis non possunt non esse inquinata, & quidem nihilo fœdis, & atrocibus minus, quam adulteria, incestus, parricidia, cur hæc declinare, ac in iis oculum, & operam perdere enitantur. Recogitate amabò, quam pugnantia doceat, quam paradoxa, in quam tot Ungaros gloriavini consenserisse, doctrina.

193. Cupiditatibus naturæ placita usq;
adeò faventia Ungaros numerosiores esse
plexos quid mirum, quoniam communis
mortalium infelicitate, ne propositis qui-
dem æternis supplicijs unquam satis deter-
remur, cupiditatibus ut non obtemperemus,
aut oblatis cœli gazis excitamur, ut iis ob-
luctemur. Si animus humanus in corpo-
re mortali in tam blandâ, atque hæc est, carni
doctrinam suapte non ruit, quam in se-
quiorem partem fertur immani pondere,
quod natum ex peccato protoparentum?
Si DEUS talis disciplinæ auctor est homi-
nibus, nil reliquum nominabitis, in quo
vobis persuadendo damnati spiritus disti-
ngantur.

194. Porrò si qua est constātiæ in secessione ab Ecclesia, & sacr legæ audaciæ in oppugnanda laus, ad Turcas, Judæos, & quotquot unquā flagitiosiores hæreticos extitisse meminimus, ac non Romani nobiscū meritò dānant, longè maxima pertinet. Nam nemo unquam Christi doctrinam insestatus est, qui simul Romanæ Ecclesiæ non fuisset injmicus. Judæj semper, Mahometani non tria, sed undecim secula, nimirum ab Anno Christi 600. hodie dum eam oppugnant. Bellis acrioribus, pluribúsque, quām Lutherani, Calviniani, Unitarii, penè indesinenter ab orbe Christiano laccessiti, nunquam extinti sunt. Provinciarum amplitudine, in quibus jus dicunt, asseclarum numero, robore, auctoritate ita præstant Evangelicis, ut risum ciceret, qui hos illis conferre vellat.

195. Sed per me licet constantiam in dissensu, & secessu ab Ecclesia Romano-Catholica incolarum Ungariae, & Transylvaniae largè celebret, ac DEO auctori idcirco tribuat diplomatica Lutheri, & Calvini doctrinam omnem, quorum e-

vangelii, lacinia est, consilium obſiſten-
di Romanæ Ecclesiæ. Si constantia in per-
duellione aduersus Ecclesiam rite in DE-
UM refertur; maxima diſſenſio quoad ce-
tera dogmata; excipientes aliæ alias ab a-
tate Lutheri lites; penè innumeræ, ex u-
na stirpe Lutherò, ſectæ: Zwingiani, Cal-
viniani, Remontrantes, Protestantæ,
Puritani, Anabaptistæ, Sabbatharii, U-
nitarii, Pietistæ, Indifferentes &c. diſci-
pulorum à Magistro Lutherò, hodierno-
rum etiam Lutheranorum, & Calviniano-
rum, à Lutheranis, & Calvinianis ſeculi-
prioris diſceſſio, eſt evidens argumentum,
non à Sancto DEI, ſed à maligno menda-
cii ſpiritu doceri opiniones tam varias,
ſummè in ſe ſe pugnantes, adeoque cer-
tiſſimè falſas plerasque. Nec ullus dicat u-
nam omnium eſſe traditam JESU Christi E-
vangelio disciplinam, & ſolū de ritibus o-
pinionibꝫve liberis, non de doctrina E-
vangelica iis intercedere certamē. Major ſec-
tariorum opinione iſta in re debet eſſe aucto-
ritas Lutheri. Is Thesi 32. contra Lovani-
enes dicit bæreticos à ſe censeri oes ſacramē-
tari-

tarios, qui negant Corpus, & Sanguinem Christi ore carnali sumi in Venerabili Eucharistia. Et in postrema sua confessione sacramentarios, eorumque discipulos hereticos esse Sacramentorum hostes, æternum damnatos statuit.

196. Quare haud gravatè do auctoribus historiæ diplomaticæ, libenter cum Gabriele Kapi è Societate JESU assentior „Evangelici sunt in eo firmi, sunt „fortes & unanimes; ut nobis, ut Ecclesiæ DEI repugnant: sed in eo, quod semel crediderunt mutando; in flectendis „torquendisque aliter, atque aliter fidei „suæ dogmatibus: in contradicendo sibi „ipsis, ne dum sociis vel Magistris suis; „sunt multò levissimi. Si firma ut oportet fides eorum foret, cur nos quoque „opposita credentes, cur fere quemlibet „in sua fide salvari posse passim dicerent. Cur eos inter „nihil certi, fluctus meri: „semper discentes, inquirentes, mutantes, „reformantes, mitigantes, fulcientes doctrinam fidei suæ; nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.

CAPUT XIII.

Nihil reapse Religionis causâ passos esse adversarios.

197. **D**uo nihilominus istis auctoribus dare non possum: nimirū Religionis causā in dirissimis persecutionibus, & cruciatuū generibus constantiam Jesuitis architectis: majorē longē partē incolarū (evangelicos designant) Ungariæ, & Transylvaniae à Romana Ecclesia duo vel tria secula indesinenter dissidentem. Magnatum non contēmnenda pars in Ungaria Lutheri, & Calvini seditiosa secuti signa in eam priore seculo conjurārunt; hodie si unam alterāmve obscuriorem familiam demas, Romanæ parent Ecclesiæ: in Transylvania si plures capitibus, certè familiis pauciores tandem oppugnant. Cis Tibiscum in Romanam Ecclesiam, trans Tibiscum pro Romanā Ecclesia plures stant ex equestri ordine. Plebs, quæ slavico sermone passim loquitur, longē frequentissima est. In hac

hac Russorum coloniæ omnes, altera p-
 nè pars gentis; si Bosnenses, & Croatas
 jungas, citra litem pars altera, anathema-
 te feriunt hostes Romanæ Ecclesiæ: Sva-
 taplugi reliquiae, & qui in ejus lingvam ac
 mores migrârunt Hunni, Teutones &c.
 pars altera, æquo fortassis numero tuen-
 tur & oppugnant ipsos. Germani in pau-
 cis urbibus liberis tum gentili apostatae, tum
 Romano Papæ; in celebrioribus Budæ,
 Strigonii, Albæ-Regalis, Agriæ &c. soli
 Romano Papæ obtemperant. Ungari Ti-
 bisci accolæ ex utraqua ripa plures in ho-
 stium castris censemur. Alibi pari nume-
 ro, quod negare possem, hostes, & clientes
 esse cedo. Thraces, & Valachi in Hungaria,
 quamvis nostri neutiquam sint, nec no-
 stros esse velimus, priusquam omnibus in
 rebus de fide nobiscum sentiant, vestri ta-
 men non sunt, nec duo aut tria, sed plu-
 ra secula à Romanis dissident. Rakoczio,
 dum templo Calvinianis per Matrem Ba-
 thoream irrepta, redderet, acclamatum est,
 quod vicena è latere millia framearum eo
 die suspendisset, quot videlicet Tibiscani

Calvinianj (& hi sunt in Ungaria pluri-
mi) armis tractandis idonei censer-
tur.

198. Si Thracibus indulgentiorem
quis se præberet, tercentena framearum
millia à se in hostes aversurum existimant
nonnulli. At non induco in animum de
solis Hungariæ, sed de finitimiis quoque i-
psos loqui. Tanto major est numerus Tra-
cum, quam Calvinianorum. Ad castra vo-
biscum ab Ecclesia dissidentium hi nulla ra-
tione pertinent. Non ipse Papa Romanus
disertiūs vestræ amicitiæ obnunciaverit,
quam Jeremias Constantinopolitanus Pa-
triarcha, non minori in veneratione Thraci-
bus, ac Papa Romanis, obnunciavit, dum
vestri avi dextras cum eo in Romam ju-
gere vellent, amicitiam flagitarent. Jere-
miā audiam? „Omnino tacere nobis pro po-
„situm fuit ad ista vestrā, nec respondere
„vobis quicquam: qui adeò apertè, tum
„scripturam, tum Doctorum Sanctorum
„interpretationes ad vestram voluntatem
„trans eratis: cùm Paulum habeamus nos
„sic hortantem: Hæreticum hominem post
unam

,,unam, atque alteram admonitionem re-
 ,,jicere. Verum quia silentio nostro fu-
 ,turum fuisset, ut vobis assentiri vidca-
 ,mur &c.

199. In Dacia Valachi, Armeni, Bulgari majorem ceteris partem efficiunt, quanquam nihil minus, ac ut splendore, & dignitate ullis conferantur, velim. Mille quingentos Valachi, plerisque; soli, æ quo cum Ungaris, ac Saxonibus numero paucos; ubi copia secundi sint aliis paucos; Ungari, & Saxones non nisi septingentos, insidere narrantur pagos. Hi omnes in fidem Romani Pontificis se se tradidere. Siculi Romani Unitariis & Calvinianis nihilo cedunt, si utrosque non antecount. Comitatuum pars haud exigua pro veteribus adversus nova sacra pugnat. Adde his migrantes e Germania ad nos. Quanto in unam collecti summam profugis ex Ecclesia, & conspirantibus ad extirpandam erunt plures?

200. Nonne igitur jure, meritoque; inficior majorē longē partē incolarū Ungariae, & Transylvanie, excepto Lutheri, Calvini ab Ecclesia Romana 2. vel 3. secula indebet dis-

sidentem, & fidem in auctoribus diplomaticæ historiæ requiro? Syllabum familiarum primi ordinis in Ungaria initio euntis seculi per publicum typum in vulgus sparsit regni Palatinus Princeps Paulus Eszterhas. In eodem leguntur, quas dixi, una & altera, familiæ, dem⁹ tres quoq; Diplomatica & dominorum è Protestantibus, & Protestantium his parentium, ac liberas Regiásque Urbes insidentium, exiguum ait esse numerum numero 108. Periodi tertiae scđt. 2. Nunquid ergo propria etiam confessione falsi convictos teneo diplomaticæ scriptores? Quid erat vobis propositum cùm narrâstis M. Leopoldum ab Ungariis Catholicis secularibus cum admiratione nuper intellexisse „vix septimam Regnicolarum Ungariæ partem Romano-Catholicæ Religioni addictam esse, cæteras omnies vel Augustanam, vel Reformatam, sive Helveticam confessionem sequi? An non id, quod est, Clerus persuaserat aia, & vos velut potentissimum mendacium Clero improperatis „minimam, temnendamque partem Regnicolarum ex infima plebis

„plebis fœcc consistentem, protestantium
 „adhuc Religionem sequi? Si è Magnati-
 bus non nisi una, in qua unicus, nî fallor,
 Paterfamilias, altera, in qua plures Ro-
 mani, pauciores Lutherani, tertia quo
 capitulo nescio, familia, & pauci in Ci-
 vitatibus Regiis, aut subjecti heris protestan-
 tibus, quorum exiguis est numerus, ut
 fatemini, signa protestantium sequantur,
 quantumcunque numerum Romanis
 parentium concedam, manifestum est, tem-
 nendam Regnicolarum partem, ex infima
 plebis fœcc consistentem, protestantium
 Religionem sequi. Quia fide vix septi-
 mam Regnicolarum Ungariæ partem Ro-
 mano-Catholicæ Religioni addictam esse
 narratis retulisse gñaros a primè rerum pa-
 triarum Ungaros, & quod retulerunt, ceu
 verum probatis?

201. In acie legitimis Regibus in-
 felta sequentium signa multi vestrum cæsi,
 de templis per vim à Romanis creptis e-
 jecti, rebellionem aliáque crimina con-
 fessi, pars gradu Pastorum moti, pars cùm
 ad saniora nullo pacto reduci possent, in

carceres compacti, & proscripti vel tritemibus addicti sunt. At hæc ne speciem quidem persecutionis ob Religionem præferunt. Quidquid Sigismundus, Albertus, Uladislaus in Hussitas; Ludovicus, Ferdinandus, Joannes, Rudolphus Reges in irrumpentes novi Evangelii Præcones, vel discipulos ad annum usque 1606. decrevere, decretum est in adhærentes damnatae hæresi, adeoque publicos hæreticos multò ante perduellionis damnatos, & indignatione unquam in Ungaria consistere sinantur, dignissimos ex adverso ut facultatibus omnibus preventur. Tripartiti part. prima tit. 14.

202. Ab Anno 1606. ad 1655. nîl cōmemorat diplomatica præter leges pacatorum, tutorūmque sacrorum novæ Religionis, & fortunam, gloriāmque, quanta antea nullis unquam vel felicissimè provectis contigit, altissimè, ut Sol in meridie, eluctatam celebrat. Attamen non semel atque iterum, sed tertio cum Bethlenio in legitimum Regem idcirco Evangelicos. conjurasse refert, quod per Romanos quietis esse non liceret.

203. Ab Anno 1655. nihilo atrocia minus Apostolis, quin universis Martyribus, Christi & ipsius doctrinæ causâ passos protestantes jam lamentatur, jam gloriatur diplomatica. Si verum id dem, nequam idcirco tria, vel duo secula „Religionis gratiâ in dirissimis cruciatibus Evangelicorum constantiam adprobabit. Si iis alia nulla in re Religionis causâ, in commodatum contendam, ac quod Romani nunquam juri repetendi errepta per vim tempa renunciârint, neque cetera adiutoribus Turcis extorquere adnitentibus omni crudelitatis genere Tökolianis cedendi animum induxerint, quid opponet? Multa enim verò opponit: pastoribus protestantium, criminum, quæ nescierant unquam per vim terrorémque, extortam confessionem: Clerum corrupisse publicum iudicium: pessima fide Judices dixisse sententiam: non convictos, non auditos, esse damnatos: ex ingenio Kolonicii effusas criminationes, non culpas luisse. Quemadmodum nulla mihi quemquam absolvendi ab impositis criminibus potestas est; ita

damna-

damnare hos pastores meum minimè est. At laudatur à Cicerone , qui alienum non censuit ab se bonum vel malum cuiusvis, ex eo quod homo esset, quanto magis Christiano, & quidem uni de Clero, publici judicij, & in tota Hungaria , Romana, ac Cæsarea aula Clarissimorum Antistitum: Szelepcsenii, Kolonicsii, Palffii sinistra, & bona estimatio ad se pertinere putanda est. Sanè publico judicio fidem abrogandi, summa iniuitate eximos Viros onerandi conatum comprobare silentio nefas.

204. Ergo, quos diplomatica innocuos , per tyranidem Cleri, pessimam judicum fidem damnatos ait, rebellionem aliaque crima confessos , cùm ad faniora reduci non possent, de gradu pastorum motos , vel proscriptos; compactos in carceres , vel triremibus addictos typis Tyrnaviensibus Labsanszkius statim ab re gesta: Franciscus Wagner haud ita pridem in Historia M. Leopoldi, ex publici Judicii Tabulis, è vulgatis publica fide chartis narrant. Adductos in suspicionem perduellionis uterque ajunt geminis Wjtnyedii

litteris. Hanc suspicionem confirmârunt aliæ Solnensium pastoris Eliæ Ladinæ, monentis Stephanum Szarka rebellium Ducem, ut libertatis spe Romanos incitaret, ad capessenda pro libertate arma, Sacerdotes raperet in carceres. Auxit magis ipse etiam Szarka, nam è trajecto, per corpus, palo, daninata hæresi cum rebellione, moriens datas esse ad se eas literas à Ladinero fassus est, dum nulla in re, sed præcipue usque adeò gravi mentiri vacabat. Denique, suspicionem, quæ in pastores cecidit, auxerunt plurium intercæsos rebelles ductore cohortis Regiæ Czob reperta cadavera. Tum *compertum* Turcas ab iis in subsidium suarū machinationum (Wagnerianis malo, quam meis intam funesta narratione uti verbis) evocatos. Budensi Purpurato, quinquagena Imperialium millia promiseré; ut quam plurimos posset, Parochorum, interciperet. Et revera Barbarus, cuius avaritiae, nec Religio, nec induciarum fides, supra nummos esset, octo Catholicos Sacerdotes, præfectos nonnullos Regios, felici venatione, in vincula Budam abduxerat. Pra-

cones, cùm post diligentem stipis conquisiti-
 onem, non rediret, unde fidem liberarent;
 negant se partem alteram, pactæ pecunia
 soluturos, pro levi adeò, quam posuisset,
 operâ, nimium exigi causati. Dejectus
 lucelli spe Turca, seu ab aula sua male sibi
 metuens; ac fors rei indignitate motus, li-
 teras, ut erant Ministrorum nominibus
 ac sigillis signatae, ad Comoromii Guberna-
 torem, Hoffkirchium submittit. Cæsar
 extra ordinem causam cognosci, & accura-
 tè quæstionem baberi voluit, Ne excep-
 tioni locus esset, Judicum pars è Protes-
 tantibus, pars è Catholicis Episcopis, ac Fi-
 sci Consiliariis delecti. Evocati Posonium
 rei, fiderenter primo, ut fit, inficiari om-
 nia; nil de Witnyedio, nil de Turcis scire;
 nullius consciens criminis, nisi crimen sit,
 Catholicum non esse. At suismet litteris,
 sociorum fassione, argumentis è juris for-
 mula petitis convicti; non terrore, non
 tormentis adacti, ipsorum Protestantium
 judicium sententiis, variorum rei crimi-
 num, acti sunt. Rebellioni fovendæ au-
 xilia à Turcis petiisse; iisdem Füllekinum,

Levam, Taurinum, Vesprimium prodere
 meditatos; traditis in perfidiæ pignus, Sa-
 crosanctis Hostiis, quas è Catholicorum tem-
 plis, furto subduxerant; jurejurando se
 mutuo in Catholicorum, ac Germanorum
 cædem obstrinxisse; ad exteros Cæsaris ho-
 stes, noxiiorum consiliorum causâ, veluti
 Legatos commedâsse; plebem veluti fidei Sa-
 cramento solutam, seditionis concionibus
 ad perduellionem incitâsse; clandestina con-
 ciliabula cum rebellibus, de cædendis toto
 Regno Germanis habuisse; infames libellos
 in Cæsaris contumeliam conscriptos; pluri-
 bus in locis Magistratus abrogatos; carce-
 ribus effractis captivos liberatos; milites,
 Praefectosque regios, ex insidiis trucidatos;
 Catholicorum Sacerdotum alios Turcis di-
 venditos; novenos interfectos; quos inter
 unum in vepribus atrociter eò usque volu-
 tatum; dum Pastorum alter, plumbeâ
 glande, miseri cruciatus abrumperet; tem-
 pla plurima, per vim Catholicis erepta; a-
 lia sacris vasis confractis, profanatis
 Mysteriis, discerptis imaginibus, fœdum
 vastata. Atque his tot criminibus, per-
 duel-

duellionis, ac Majestatis læsæ reos, mortemque commeritos videri.

205. Ità publici judicij tabulæ in chartophylacio Posoniensi, quæ hodie dum inspici queant. Ità ex his tabulis Lapsanszkjus. Idem à cæpta causa dum absolveretur ex munere scribæ publici judicio aderat, excipiebat calamo, quidquid Judices quæsierunt, egeruntque; quidquid Pastores responderunt, ac fassi vel inficiati sunt. Sapienti admodum difficile est, assentiri scriptoribus diplomaticæ, qui ne quidem suum nomen prodere ausi sint, longè aliter triginta & amplius annis, postquam gesta est, rem narrantibus, præcipue, dum tribunal auctoritate Cæsarea Regiaque constitutum, Judices magna cum laude publicis muneribus perfunctos, summa fide in Senatu Cæsaris versatos, sententiæ, in innoxios pessima fidelitatæ, accusant. At perstant in proposito. Si petamus, quæ narrant, quo teste acceperint, quibus instrumentis edocti sint, Forgacsius, ajunt, judicij Præses, Zicsius Senator, Pastores omnes à rebellione absolverunt. Soli Romani,

mani, atque hos inter de Cleropulares, perpetui protestantium, & jurati hostes, reos rebellionis pronunciârant: junctarum fœdere provinciarum Belgii Orator Hamel Bruniñx Viennæ libello manifestè docuit alienis criminibus oneratos, de gradu Ecclesiastici ministerii solius religionis reos esse dejectos. Contra Goliatum funda Davidis per fugam subducti remis; apologia pastorum è carcere Lapsanskii septem ac decem mendacia retexit.

206. At quo in loco, quo audiente Forgacsius, & Zicsius Pastores rebellionis innoxios, dixerunt? quis ad memoriam hominum literis consignavit sententiam absolutionis? nemo nullo in loco, nam neminem scriptorum appellat diplomatica, nullum locum, nullum testem designat. An sperat tantis Viris imposita à se enormia usque adeò crimina, eo solùm quod imponere ausit, affirmetque imperterritè, cuiquam persuadenda? O frontem ferream hominum! nemo eatenus cognoscendæ causæ judices ex solis Romanis delectos asseverare ausus, omnes partem è prote-

stantibus, partem è Romanis Episcopis, ac Fisci consiliariis delectos credidere. Diplomatica hodie solos Romanos fuisse persuasum vult. Si quis Oratorum manifestè docuit innocuos homines alienis crimibus oneratos, de gradu ministerii esse dejectos, cur historicus non recenset documenta, testes, rationésque, quibus hanc rem tanti ad propositum suum momenti, docuit? si eo solo nomine nullas esse velim, quòd non commemorentur, facile assentientur prudentes.

207. Nihil profectò in rem pastorum allegari posse arbitrabuntur non imprudentes illico, ac comperient nihil à diligentissimis in defendendis pastoribus diplomaticæ auctoribus adduci, fidenter tam affirmari allegata esse momenta, quæ litem secundùm Pastores hodiecum dirimarent, si commemorarentur. Imò nulla ratio apud eos habebit plus ponderis ad liberandos à culpa, quam silentio argumentorum è funda Davidis, & Apologia, quæ jactantur manifestam factura Pastorum innocentia, insit vis ad inducendum ani-

animum, quod ipsi diplomaticæ auctores & Patroni Pastorum censuerint nihil ad elevanda Pastoribus objecta crimina à quoquam adferri potuisse. Qui enim jure contemptis per Reges precibus Evangelicorum pro nova Religione, & queritatum duo secula libellis volumen infarserunt, & diligenter recitarunt responsionem ad libellum Episcopi Bársagy, contendentis nullam unquam vim legum obtinuisse, sed jure ac facto irritum esse, quidquid è Comitiorum Decretis, ac Pacificationibus in rem suam sectarii allegant, Libellum verò Catholicorum, quo hæc responsio jugatur, cautè suppresserunt, quis non palpet apologiam, & fundam pressuros silentio non fuisse, si quem, ex ea fructum, ad ostendendam reorum innocentiam, capi posse existimassent. Id luculentius inde liquet, quod ne indicarint quidem, quæ mendacia Lapsanszkii sive funda, sive apologia retexerit.

208. Quanto verosimilius mihi pronuncjare liceret græcatos, ne dicam mentitos esse diplomaticæ auctores, dum

narrant, quō exigebatur, ut delicta Pa-
stores confiteantur, scripto non inseruisse
nomina plerosque aliter, ac quod *rebelli-
osæ complicitatis* consciū non sint; vitiāsse
Palffium Cancellarium M. Leopoldi lite-
ras, quibus absolvebantur: Witnyedij,
postquam penitus excusisset Nicolaus
Bethlen, cui inscriebantur aliæ, suppo-
sitionis irrefragabilibus argumentis publico
scripto asseruisse? præsentem pecuniam
quotquot scripto nomina inseruerunt, mer-
cedem mendacii expectavisse, accepisse:
Non Lapsanszkium, sed fictā Lapsanszkii
personā Nicolaum Kellio seriem actionis
in pastores prælō subjecisse: à Szelepcsinio,
Koloniccio effervescentibus stomacho mal-
leo & manu pulsatos esse pastores: Szelep-
csiniuni, ut à malo genio abripiatur, sibi
imprecatum esse, si triremibus subducantur
semel convicti scelerum, quæ fateri
nolint: Kolonicium sæpè denunciavisse,
nil profecturam unquam reis Cæsaris
Clemētiam, etiamsi iterum atque iterum
imperaret, ut impunè dimittantur.

209. Si aliter, quam Lapsanskius

nat-

narrat, scripto inseruisse nomina pastores, munere ministrorum se abdicantes, quis suspicetur, Posoniense Chartophylacium adeat, Lapsanszkius eo fidem suam tuetur, illic characteres pastorum legere licebit. Diplomatica secus, ac Lapsanszkius inseruisse fiderenter afferit, Lapsanszkium apertimendacii arguit, at unde compertum id habeat, ubi, quod refert, disciliquidò possit, queis documentis Lapsanszkius mendacii convinci, diplomatica à calumnia liberari queat, nil ait. Si Witnyedii literas Bethlen irrefragabilibus argumentis fictas ostendere conatus sit, quid mirum, quod Calvinianus fatalem Calvinianis suspicionem, petendi armislegitimum Regem & Romanos, disjicere inde contenderit, ubi constanter opprimendi cum Romanis Germanos consilia inibantur, auxilia etiam à Turcis quærebantur, unde Duces bello & exercitus in perniciem Romancrum erumpabant. Ego Bethlenum cùm in corona præclarorum Virorum, multis post damnatos pastores annis, inter epulas interrogaretur, num à Witnyedio ad se allatae, &

à se clam ablatæ essent eæ literæ, accepi neutrum negavisse, sed quòd fide Regi Hungariæ tum non adstringeretur, si eas accepisset, à flagitio se se excusavisse. Sed si diplomatica hac in re mendacii non convinxitur, ejus auctoris oscitantia admiracionem meretur, quòd tanti momenti argumenta ad liberandos à suspicione perduellionis non recensuerit, dum totus in eo est, ut omnem hanc suspicionem Europæ eximat. *Quis non videat, quæ irrefragabilia vocat, nulla fuissè hæc argumenta?*

210. Pecunia sollicitatos esse reos, ut culpam fateantur, aut accepisse aliquid idcirco, quòd fassi sint, nusquam, nisi in diplomatica legi, nec oblatam credo alio nomine, ac sumptuum ad tolerandam vitam necessariorum, donec post abdicatum munus ministrorum, aliud consequantur, ex quo familiæ prospicere queant. Cur aliis aut alio nomine oblatam credam, diplomatica nil allegat. Ut persvadeat fictâ Lapsanszkii personâ aliquem scripsisse seriem actionis in pastores, quæ id doceant, rationes expecto. Fatuus sim, si sinè ratione

tione id in animum inducam. Fatuos nemmo malè dixerit, qui sīnē omni ratione id narrāt̄, & persuaderi posse existimār̄. A Palffio Cancellario vitiatas esse M. Leopoldi literas subducentis pastores pœnis, nihil est, cur quisque dicere nequeat, probare quod eas vitiaverit ita, ut pœnis addicerentur à Leopoldo, quos liberatos à Leopoldo ait, probare nullo modo potuit diplomatica, cūm ne apicem quidem ex iis referat. Kolonicsii, Palffii, Szelepcsi-nii eminens dignitatis gradus, notissima gravitas, ac prudentia historicos coarguit satis supérque, verba ac gesta Pasquino, ac Morphorio digna, iis tribuentes. Silentium irrefragabilium argumentorum, quæ jactatis, documentorum, unde dīdicistis, quæ narratis, causæ, famæquæ pastorum, ac Religioni vestræ faventium suspectos falsi vehementer facit.

210. Neque h̄ic finis: Innoxii fuerunt, si qua diplomaticæ fides est, pastores, cūm plures priusquam rebellio cuiquam objiceretur, scholis templisque ejecti sint, accusatorum nemo de medio sublatus est

cum magnatibus secundum præscriptas ju-
ris formulas convictis rebellionis: sive ræ
essent, parem, daninandis tot pastoribus,
unius, & quidem demortui Witnyedii li-
teræ probationem non præbuissent: quod
citati ad respondendum in Daciam & Tur-
cicas regiones diffugerint non pauci, ar-
gumentum haud est, minus confessio cri-
minum, quæ objiciebantur, ni Davidem
fugientem ad Regem Achis, rebellionem
in Saulem; Christum in Galilæam sece-
dentem, auditò quòd Herodes Joannem
misserit in carcere, criminis, quæ obji-
ciebantur Joanni, confitentem faciamus:
æquum non erat, ut illorum judicium ex-
spectarent pastores, qui ferro & flamma
antea in pastores sævissent; Sangvinolen-
ta vestigia terruerant, ne judicio se sisterent:
pusillanimitas & inconstantia, vel statim,
ac objiciebantur, vel procedente tempo-
re criminis fatentium, quæ non commis-
serant, constantibus in pernegandis obesse
non potuit, præjudicium aliquod creare
bonæ causa potuit. Ita diplomatica.

211. Semper fuit, critque pot-
estas

itas erepta per vim repetendi. Neque enim extorta Regibus quidvis sentiendi libertas ad licentiam rapiendi aliena pertinet. Erit, erit fas arcendi ab aris Pastores, ad quas oculos, animosque adjecere adversus Leges S. Ladislai, Colomani, Vladislai &c. Et si nullæ Leges, nulla Decreta Regum essent super, heri pie ac justè ejicient Pastores è templis, Paræciis, scholis, quas invitis legitimis Dominis insederunt. Heris enim certissimum, ac vetustissimum jus in has est, tum quod struendis locum, operas, sumptus de suo liberaliter præbuerint; tum quod sartas tecásque conseruârint, & Sacerdotibus ad obœunda Divina officia necessariis, vêtaglia in vicum constituerint; tum demum quod libertas Religionis, cuius solius obtenu templo Evangelici invaserunt, pace Viennensi æquiùs multò, ac liberaliùs heris Catholicis constabilita, quam plebi indulta sit. Alias præterea, quas non disputo ejiciendorum de templis, Paræciis, scholis, pastorum causas esse posse quis neget?

213. Si unius literæ parem multis damnandis non præbuere probationem, longè minori ac rebellio, aliisque objecta scelera mereantur, poenâ damnandis cœnius literæ aliāq; indicia præbere sufficiēt, si juris prudentiam consulimus, rationē possunt. Ubi ferro ac igni sœvitum in pastores, anteaquam Posonii dies iis dicta, ut terrori meritò potuerint, ne judicio se sistant? cur diplomatica nullum cœdis auctorem, nullum locum nominat? si fugam postquam ex præscripto juris vocantur incusati ad respondendum, auctores diplomaticæ existimant ad accusandos, qui fugiunt, nullam habere vim, non mendaces duntaxat scriptores, sed oppidò imperiti juris sunt. Clarus jurisconsultus longè clarissimus practicæ criminális libro 5. quæst. 21. numero 20. fugam exauditis sequoribus sermonibus, antea quam exformulis juris ad judicium quis citetur, ait, secundūm mentem plerorumque, medium damnando probationem. Si è loco honestæ custodiæ designato dilabatur, Bajardus ad Clari recitatam quæstionem, non sim-

simplicem, sed qualificatam fugam, ut loquuntur jurisconsulti, & æquivalentiæ fugæ ex carcere, quæ censetur juridica confessio delicti, esse docet. Nec Davidem, nec Christum tamen fuga cuiusquam peccati arguit, quod aliunde noverimus innoxios.

214. Quod cum Magnatibus rebellionis convictis nullus pastorum casus sit, non innocentia pastorum, sed clementia Principis tribuendum, cuius occasionem tantus fortassis numerus cædem promotorum, alienissimo à fundendo sanguine, præbuit. Qui sibi enormia, quæ non fecerit crimina, qui aliis imponit, eisdem gravi se obstringit scelere, præcipue dum innoxiis perniciies, Religioni infamia inde creatur. Tam diu gravissimo hoc scelere tenetur, quam diu innocentes premens suâ culpâ malum non amolitur improbi retractatione mendacii. Ut id retractet quantocyus Numen imperat, nî retractet, æterna minatur supplicia. Si non retractato mortem oppetat, certò certius æternum punietur, assentientibus, nî fallor, etiam diplomaticæ auctoribus. Si

tam

tam improbi fuere pastores, ut metu pœnarum à judicibus intentatarum sibi, aliisque innoxiiis atrocia imponere crimina non reformidarent, nec vererentur metu suppliciorum æternorum, quæ DEUS denunciat, creare præjudicium bonæ causæ, infamiam Evangelio; dum Posonio dilapsi hæc præjudicia amoliri, infamiam detergere poterant ingenua retractatione mendacii, cur amoliti non sunt? Cur non deterserunt? non retractarunt unquam? Quia nunquam tutè retractare potuere dices. At quid periculi imminebat, si in Dacia tot inter causæ amicos retractassent? quis cui metuendus erat, si reddituri spiritum, quæ improbè dixerunt, recantassent, ne dato, ac dum possent, non reparato famæ, fortunarum, & libertatis grandi damno fratrum, & religionis, Deo injustitiæ cuiusvis severissimo vindici fistantur, æternum puniendi.

215. Quid diplomatica velit, cùm pagina 86. ait: *venenatæ formulæ libelli quemquam comparentium subscriptisse scelestè personatus (nempe Lapsanskius) in aper-*

aperta luce mentiri ausus est, & versu quinto subjungit: formulæ inserta plerumque à subscriptib⁹ sunt verba: quamvis non simus rebelliosæ complicitatis nobis consci⁹. Pagina 73. numero 61. narraverat, quod pastorum pars licet rebellionis rei nullomodo peracti, reatum tamen falso confessi exilium elegerint. Si è biscen-
tum tricen⁹, & ultra, formulæ inserta plerumque à subscriptib⁹ sunt verba, quamvis non simus rebelliosæ complicitatis nobis consci⁹, nonnullos sinè hac restrictio-
ne nomina inseruisse, adeoque rebellionem confessos esse oportuit. Si hanc con-
fessi hi, & alij, qui pro tribunali constitê-
re primi, ut refert diplomatica, quem-
admodum quenquam comparentium sub-
scripsisse scelestè personatus Lapsanszkius
in aperta luce mentiri ausus est?

216. Quis non miretur insolentem hominum impudentiam, regium judicium, ejusque scribam procaci libertate calumni-
antium sententiæ, & narrationis usque adeò veræ, claræquæ causâ, ut infuscari ne-
queat figmentis, infuscandam omni arte susci-

suscipientium, quin eorum ipsorum confessione illustretur. Ergone scriptoribus his impune licet quidquidlibet scripti, quo d exigebatur, hunc tenorem fuisse resert Wagner: *Fateor, me munere meo graviter abusum; initæ adversus Cæsarem conspirationis participem; harum rerum è Legum formula ab delectis judicibus convictū; petiisse à Cæsare veniam; & impestrâsse, ut in Hungaria tuto vivere liceat.* Pro qua gratia pollicor; me sacra deinceps nō tractaturum; in fide perstiturum; rebellionis suspectos, Regio Gubernatori, aut supremo Comiti, denunciaturum. Tum subdit: *Eiusmodi scripto ducenti, tringita, & sex Ministelli, nomina sua inseruere; uti in Posoniensi Chartophylacio hodieum existant.*

217. Quid multa? gravitate, ac probitate conspicuos, egregios Confessores, Apostolorum discipulos, atrociora Martyribus intrepidè passos, cùm facundè diplomatica descripsisset, eductos ex ergastulis, & tota Hungaria, Tergesti crudelis denique sanctissimi confessoris tortores

res exhibet pastores. *Fugitivus* inquit pagina 83. numero 76. *Ex fuga reductus ipsorum fratrum captivorum verberibus ita objicitur, ut carnificum instar singulis diebus bis fratrem suum passionum hactenus confortem percutere, multarum atrociumque plagarum renuentibus inflictarum metu, coacti fuerint.* Legimus in historia Ecclesiastica plures sancto desiderio patiendi, ac moriendi illius gratiam, qui pro nobis & passus atrocia, & mortuus est, JESUS Christus; tortorum ad infligenda suppicia segnitiei iratores securibus subiecisse, laqueis inferuisse colla, in accensas insiluisse piras. Legimus tortores patientiam immanum cruciatum attinatos damnavisse repente judicum sententiam, suamque conditionem: amplexos esse pro qua tam fortiter pati excruciatos a se, cernebant, Religionem: istius Religionis gratiam illico suppliciis, quae infligebant, objecisse se se, & nihilo levius, quam excruciarint alios, esse excruciatos. Nullum Christianorum athletarum legitimus, nisi Christum prius & ejus Religionem

nem ejurâisset, qui Tyrannorum satelles,
& impius fratum suâ nullâ culpâ, sed a-
lienâ crudelitate nefanda Christi amore
libenter tolerantium carnifex esse voluc-
rit, ut intentatis pro Christo cruciatibus
se se subducat. Diplomatica primum tam
præclaræ virtutis exemplum in duodetri-
ginta Evangelicis confessoribus orbi exhi-
bet.

218. Quo calumniandi rabies ab-
ripere homines queat? Ut popello Tyrannos,
exhibeant Romanos, nullam aliam ob-
causam, ac ne Christi causâ torque-
antur, tortores fratum, Tyrannosque fa-
ciunt, quos credi volebant eximios Chri-
sti confessores. Oblata elabendi è custo-
dia, ut declinent gravissimas ærumnas, oc-
casione usos negant, ne Christi causam
prodidisse viderenter pag. 75. numero 70.
Crudeliter sœviisse narrant Tergesti, in vin-
etam, eadem, quâ ipsi causâ, Religionis,
ne vapulent, si tyrannidis ministri esse no-
lint. Nimirum prius fortitudinis in ad-
versis, & constantiæ, in exosa Romanis
Religione laudem aucupari, dein crudeli-
tatis

tatis notam inutere Romanis propositum fuit historicorum. Si saevis verberibus ad saviendum in viatos JESU Christi impulsoꝝ à Romanis pastores persuasiſſent, persuasum iri credebant summam Romanoꝝ crudelitatein, cùmque effreni impetu fuerent in horum perniciem, iraꝝ æſtus mentē erripuit, ut ne viderent, ne utiquam ferjendos paratā machærā Romanos, niſi confoſſis pastoribus suarum partium; vel voluntatem efferavit, ut non exhoreſceret cladem chariſſimorum capitum; dummodo eadem hostes Romanos involvat.

219. Profectò ne quidem è ſcien-
tissimo artium nocendi pastoribus Kolloni-
ciſſi ingenio ad perdendos incitatissimi,
qualem diplomatica exſculpit, eſſundi fa-
bula accommodatior potuit, ac hæc hi-
ſtoria, ut cuticulæ, quām frattrum aman-
tiores, promptiorēſque proprii compen-
dii causā ad excruciantdos Christi discipu-
los, quām ad tolerandum cum Christi disci-
pulis, proponātur orbi pastores Evāglicij. Ja-
ſentior non ſæva magis paſſos Apostolis,

sed longè diversa egisse hos Apostolorum discipulos, non quidem, quòd carceres ipsi foderint, in quos compingerentur, ut diplomatica ait pag. 78. numero 71. & labor hic nunquam Apostolis sit imperatus; sed quòd discipuli Apostolorum, in discipulos Apostolorum mandato tyrannorum sævierint, ut imminentia pro Christo verbera subterfugiant, quod non ab Apostolis duntaxat, sed nec à viris, qui inter Ethnicos insigniter improbi, ac viles non fuerint, unquā est factitatū. Sanè qui diplomaticæ fidem habuerit in hac narratione, objecta in Regem, & universos Catholicos flagitia, ab indole & moribus pastorū, neutiquā abhorrere credet, qui ne fidei divinæ causâ incommodis objiciant se se, in vincitos Christi instar D.Pauli, ipsi pro carnifice desævierunt.

220. Ignorârunt, aut recordati non sunt perduellium Adyocati diplomaticæ scriptores, neque enim verosimile est præterituros fuisse de industria, quòd *Svecicus Legatus Oxenstirna* post pœnas de reis sumptas, sed multùm lenitas Cæsaris clementiâ, Cæsareorum Ministrorum crudeli-

batem,

tatem, sua miseria jura, privilegia, templa, per summam injuriam erepta, liberò, ac tantum non impudente scriptò persistinxerit. Cui responsum: Cæsarem neque quid in Svecia fieret sollicitum, neque quid de Hungaria statueret; respondere velle. Religionum causâ nemini vim illatam; in perduellionem duntaxat legibus actum; id quod Judicij Tabulas insufficienti palam fiat. Innocuos nemini videri posse, nisi qui Regii Judicij fidem, integritatem, existimationem in dubium revocet. Rebellionem Regibus omnibus metuendam, nec domi solum, sed foris quoque omni ope insectandam. Ità Wagner.

221. At demus tam pro tribunali, quam in carceribus nihilo aliter ac diplomatica refert pastoribus esse actum, toleraverint plurima Religionis non rebellionis causâ. Quâ fide architectis Jesuitis sic in eos actum narratur. Unitariorum manibus, ac ferro cæsum Emanuelem Niger, Majorium luculentam accepisse plagam capite, pulsatos alios Claudiopoli Jesuitas scimus. Pongraczium, Grodeczium

Calvinianorum facibus Cassoviæ ustulatos,
 clavâ contrucidatos: Simonideri in Tura-
 luca Lutheranorum crudelitate necatum
 scimus. A Calvinianis, Lutheranis, U-
 nitariis è Transsylvania, à Bethlenio ex
 Ungaria proscriptos Jesuitas scimus etiam
 è diplomatica. Tôkôlianorum furore de-
 stinatos ad triremes Turcarum vicenos &
 amplius Tyrnaviæ año 1683. nec aliter sub-
 ductos remis, ac promissis pro liberatate tri-
 ginta aureorū millib⁹ ab Erdôdio, Czoborio,
 Nadasdio, Bercsényio, nulla alia de causa, ac
 quòd pastores à judicio regio, in quo nūquā
 apparuit Jesuita addicti sint triremibus.
 Vivit etiamdum, quem solæ pietæ tabu-
 læ cæforum in Anglia pro religione Je-
 suitarum, gladio Calviniani carnificis sub-
 duxere. Jam à Francisco Tokai & præ-
 cipuo Tibiscanorum Pastore, ducibus sedi-
 tionis Añô 1697. excitata dicta erat senten-
 tia Patakini ut cum pluribus ejusdē instituti
 trucidetur, nullius reus criminis, nisi cri-
 men sit nati ex nobili Patre in Ungaria Je-
 suitam esse, etiam posteaquam Regis, ac
 comitiorum assensu promiscuè omnes Je-
 suitæ

inter Ungaros cooptati sunt. Totus cum
sociis in eo erat, ut ad æternitatem pla-
cando Divino Numine rite se compararet,
cum unus omnium, conjectis in tabulas,
quas dixi, oculis exclamat, quid facimus?
nimirum ut nostrum in probrum horum
fortitudo ac Calvinianorum crudelitas in
tabulis spectada posteris proponatur elabo-
ram, tū ut vivere sed vincī sinātur, persuāsit.
Nullum unquam Protestantum, ne dum
pastorum à quoquam Jesuitarum vel levi
manu violatum scimus; nam nullus à Pro-
testantibus, omnium, quæ tolerārint, Je-
suitas architectos declamantibus, nomi-
natur. Quando, quo loco, queis arti-
bus, qui Jesuitarum auctores maleficio-
rum in Protestantes extiterint, nescitur;
neque enim taceretur, si sciretur. Prin-
cipes attamen in damnandis, vinciendis,
expilandis, cædendis Protestantibus con-
clamantur, odio, execrationi idcirco Eu-
ropæarum gentium objiciuntur. Candidè
Diplomatica Pag. 76. *Jesuita, nescio quo*
urgente, rigidissima hyeme captivi in u-
sum præsidij allata in superiorem arcis Be-

renclsinensis aream deportare &c. candidè inquam, atque utinam pari candore, sed meliore mente plura referret. Quomodo sciat Jesuitam, ubi nullus Jesuita? unde, cur Jesuita Berencsini.

222. Appellat quidem diplomatica Nicolaum Kellio è Societate nefanda in vincitos pastores Leopoldopoli ausum, appellat inquam sed sinè teste, imò pastores qui dirè vexati à Kellione narrantur, testes sunt Kellionis fida manu, quæ in vincitorum solatium amici misissent vñctis tradita: cibos ac potum non modo ab amicis missum, sed Kellioni detractum à Kellione non parca, sed liberali manu præbitum: Kellionis ædes ad diuturniora cum familiaribus colloquia patuisse, intercessu verbera esse condonata: denique aliis quoque in rebus Patris istius peculiari benevolentia ac humanitate usos esse omnes. Horum testimonia non negat, sed metu extorta ait Historicus elevatque: scribens à Kellione impetratū ut venientes solatij causâ amicos aliquādo alloqui liceret, munuscula missa ita perlata, ut majorem partē Kellionis

onis fraude diriperentur à militibus. At non hæc, sed quæ dixi, scripto pastores testati sunt, & quidem cō animō, ut si aliquis inveniretur tam perfidae frontis homo, qui contrarium dicere attentaret, is tanquam mendax, & temerarius detractor boni nominis habeatur. Juvat reliqua pastorū verbare ferre; sic enim illi de Kellione.

Quod is obtinuerit, ut ea quæ quo ad viētū, vestitum, & pœniam ab uxoribus, & consanguineis mittebantur, securè, justèq; in manus venirent. Quod idem Pater à festo S. Michaelis anni præterlapsi, usq; ad præsentem diem 15. Febr. 1675. cibos potumq; liberaliter, etiam ex proprio, captivis missitaverit. Quod præfatus Pater, ut captivi frequentius, & diutius cum sanguineis colloqui, ac tractare possent, propriam sapientiæ cōcesserit habitationem. Quod ob certā causā ipsi gravissimè à militibus & vigilibus percussi fuissent, nisi R. P. N. Kellio per intercessionē suā illis subvenisset; cuius etiā in aliis rebus ipsi, fratresq; ipsorum singularē experti fuerint benevolentiam, & humanitatem. In cuius rei &c. ut suprà.

223. Adde, si i. Jesuitarū Kellio pastribus vincitīs sumē injuriosus exstitisset, non idcirco coīmuni nōine, nullo dēpto reliquos esse comēritos reprehēsionē. Quidquid molestiæ creatū pastribus narratur, auctoriis Jesuitis justè tribui à diplomatica nō potuit. Sed alibi diplomaticæ auctores Jesuitarum causā pluribus conveniemus.

224. Claudat hoc caput Otroko-
czius pastorum triremibus addictorum, si

non fallit, à quo nuper id inaudii, unus.
 Narrabat quanto cum plausu, quibus cuni
 acclamationibus, quam laute accipieban-
 tur per Germaniam, dum navibus exempti
 remearent in Patriam. Urbes Calvinianæ,
 & Lutheranæ, Romanorum ad averten-
 das calamitates graviores ritu instituenti-
 um supplicationes publicas, effundeban-
 tur in occursum venientium, laudes con-
 stantiæ in arrepto retinendi novum Evan-
 gelium proposito occinebant. Redux in
 Ungariam amissum pastoris munus repe-
 tiit, & non temnendum ex gesto censum
 plures annos percipiebat Gyöngyösini. De-
 mum divinâ gratiâ duritiem hominis e-
 molliit, de tenebris Calvini in lucem Ro-
 manæ Ecclesiæ traducti. Vixit plura lustra
 Tyrnaviæ, dimissâ, quam secundum Cal-
 vinianorum leges, adulteræ è toro ejectæ
 male suffecerat, muliere. Pene tempus
 omne melioris vitæ scribendis in Calvini-
 anos libris, damnandisque erroribus suis
 contrivit. Obiit piè in sinu Romanæ Ec-
 clisiæ Anno M. DCC. XVIII. mense Sep-
 tembri. Alium ex eadem calamitate in li-
 ber-

bertatem & patriam: ex erroribus in agnitionem veritatis eluēatum spectavi Comaromii ante annos vicenos, dum venum obtruderet sacrarum literarum volumen ad levandum ejus pretio inopiam. Eleemosynā inopiam levārunt Patres Societatis Jesu redditō volumine. Quā fortunā reliqui pastorum ē vivis excesserint, num erroribus in veteratis immortui; num expediti, dicere nūl habeo.

CAPUT XIV.

*Adjaphoros exiguo distare
intervallo ab Atheis.*

225. **J**oannes Barclajus in Parænesi ad Sectarios narrat Serenissimum M. Brittaniæ Regem Jacobum s̄epe asseruisse, quòd ad omnem impietatem via sternatur puritanismo; quippe (verba Barclai rediō) facile Puritanos extremis patere hæresibus: hos ad Brunistas, hos ad Anabaptistas, hos ad Arianos non s̄emel defecisse: binc brevem omnino ad Atheismum viam esse, tum Regis judicium collaudat, & suum sequentibus explicat laudatus Barclai-

jus: Solerter Serenissimus Rex; at utinam ordiatur non à media scala, sed ab infimo gradu. Certè enim Athei ab Anabaptistis, & Brunistis, à Puritanis autem Anabaptistæ multi, omnesque Brunistæ, at unde bi ipsi Puritani? Nonne à Protestantibus, Lutheranis, & ejusmodi ceteris adeò, ut vocari rite possint hæ sectæ, quæ ab una deflectunt in aliam novam (quod de Eunomianis, qui Arianae arboris surculus erant, dicit Ambrosius) Radicis degeneris fructus deterior.

226. Ego de Adjaphoris id verissimè dici statuo. Cui temporum, sapientum, & sanctorum omnium, totque gentium, quot Christo simul, & Romanæ Ecclesiæ se se mancipaverunt consensus non secernendi Romana à Christi dogmati; cui summa inter squalores carcerum, ac cædes, in profitendis innumerorum constantia tantam non adfert lucem, ut non possit non videre, quod ab alio, quam à DEO non nisi imprudenter manifestata existimentur, huic auctoritatem Christi in omnes, necessitatēmque fidei in Christum

stum nihil perswasurum jam ostensum est.
Idem rationes DEI existentiam sudentes
cur non contineat? cur nullum reverea-
tur Numen, Atheusque non sit, nihil
est.

227. Rebus, quas oriri, ac inter-
ire usurpamus sensibus, est summa cum
ente à se, atque adeò cum DEO Optimo
Maximo necessitudo. Eadem est manife-
sta, & Metaphysicam de existentia DEI pa-
rit evidentiam. *Nemo Mortalium est, cui*
non hoc adeò naturaliter insitum sit, ut
DEUM esse perspectum habeat, ut ait Da-
mascenus. *Nulla est gens. aut genus ho-*
minum, quod non habeat sine doctrina an-
ticipationem quandam Deorum. pr nunciat
Tulli'. In tanta rerum diversitate ex quibus
mundi fabrica compingitur, summa con-
nexio, maxima pulchritudo, constans or-
do sine causa, & artifice, qui omnia hæc
condiderit, & moderetur sapientiâ, atque
Deus sit perseverare mūdū nō posse clamant
universa. Unde quemadmodum moralij
cum evidentia innotescit literas, & sen-
tentias ingentis voluminis per se se temere
in-

in perfectam, ac continuam orationem non coalusse, sed ingenio cuiuspiam coordinatas esse: quemadmodum stolidum, insanumque opinarentur omnes, qui secus factum niteretur persuadere; ita res conditas tot, ac tam varias apte inter se cohærere, in se pugnantes nunquam plenè interire, è fœdis ac pulchris in tam decoram fabricam emersisse, non temere, sed alicujus ingenio, qui DEUS sit, morali cum evidētia certum est ratione instrutis, qui secus dicit, ratione caret.

228. Inficiabitur tamen hæc universi, haud ægrè, quisquis doctrinam à Christo minâsse negat, quam omnes, qui cum Christo, & post Christum vixerunt, omnes s̄ pientes & sancti, se à Christo dicisse ajunt. Quiscunque haud ita pridem conficta ab impostoribus potest credere ea dogmata, quorum inter homines in tium nulla retro ætate à quoquam designari potest: cur sortitò casu sine ullo consilio, ex nihilo conspicuam hanc nob̄'s machinam non opinetur emersisse? In toto terrarum orbe, homines fascino-

voluptatum carnis illigatos, si in leges
 carni inimicissimas jurâsse absque instinctu
 Numinis sua sponte prudenter existimare
 videris tibi: quid imprudentiae in eo cen-
 sebis, quod res conditae, & inter se se con-
 stanter pugnantes nullius operâ, quæ for-
 tior sit, ac natura, se tueantur propriis
 viribus ab interitu? Myriades inter carce-
 rum squalores, equuleosque doctrinam
 Romanam confitentium, magna cum al-
 lacritate, vitam, fortunas, honores, si in-
 visam Religionem ejurent, aut dissimulent,
 oblatos aspernantium, morique, ac gra-
 viora pati ejus causâ anhelantium, qui
 non credat corroborari à DEO, durarî-
 que in tot cruciatus, ut testimonium per-
 hibeant veritati Divinæ: idem sinè DEO
 fieri universa in mundo non difficile equi-
 dem crediderit.

229. Necessitudo rerum, quæ no-
 bis in prospectu sunt, cum ente invisibili,
 ac immutabili adeoque DEO omnium au-
 ñore manifesta est, neque potest nisi ver-
 bo negari, manifesta inquam, sed docti-
 oribus duntaxat, idque post non levem
 in

in naturæ perscrutatione contentionē. Huic necessitudini caliginē inducere tentārunt, quorū conscientia DEI in ulciscendis scel ribus severitatem reformidat. Subductam omnium oculis, imò DEUM planè non existire cupiunt. Nec omnino frustrā; qui in Martyrum cruciat bus DEUM Romana dogmata stabilientem non vident; qui sapientes æræ Christianæ omnes; omnes sanctos viros, ac mulieres omnes, erroris, aut mendacij non verentur accusare, cùm à Christo se didicisse ajunt, quæ Romani docemus, horum mentem necessitudo rerum mutabilium cum ente immutabili omnium facillimè effugiet, quin negabunt, haud gravatè, & incusabunt incogitatiæ nimiævè credulitatis, si quos audierint existimantes manifestam.

230. Expendamus hoc loco ex mente Calvinianorum DEI notas: reprobos suâ ordinatione peccare cogit. Quidquid vult, necessitate evenit. Consilia scelerata impiorum gubernat, & quod alibi dixi proprium ejus opus fuit, ut vocatio Pauli, sic adulterium Davidis, Iudeæque

Pro-

*Proditoris impetas, Institut lib. 3. Cap. 23.
N. 9. lib. 2. Cap 4. N. 1.* Jam sic: *injustus,
tyrannus, fatuus est, quisquis capropter
severè subditos punit, quòd non caveant,
quæ caveri nequaquam possunt: at quæ ab
eo ipso perpetranda tam fortiter ad-
stringuntur, ut obsistere nullo pacto que-
ant: quæque ipsus ille Herus serio fieri
vult ita, ut nulla sit ulli potestas efficiendi
ne eveniant.* Si cum Calvinus in subjec-
tos homines sic DEUM desævire, hoc mo-
re miseros imaginetur tractari, qui allat-
is tot obviis, sed validissimis rationibus,
permoveri nequit, ut Romana apprime
cum ratione consentientia, & ab omni
labe remotissima dogmata approbet, pri-
ùs omnia alia, ac DEUM credet Herum
adeò malevolum, ac maleficum, quæcun-
que subtilia producantur argumenta ad
probandum cum Herum esse verum DEUM.
Ecce quam verè dixi Adiaphoros exi-
guo distare intervallo ab Atheis.

231. Unde quales in Republica ii-
dem sint cives dispici aliunde melius nequit,
ac ex Atheis, si Atheti veris nativisque colo-
ribus

ribus expingantur. Propinguorum par
penè est conditio. Nihil iis magis popu-
lare , nihil civitatis ac Reipublicæ aman-
tius in speciē candorem merum ac nives
præferunt. DEUM, ejus Majestatem, gra-
tiæ vim infinitam satìs commemorare ne-
queunt. Verùm DEI nomine mundum,
gratiæ vocabulo vim fati intelligunt. Nul-
lam virtutum remunerationem operiun-
tur, nullum scelerum ultorem metuunt à
morte corporis. Quin virtutem inter, ac
scelera , nullum quod ad rem, discriminem
statuunt, sed quòd scelera famæ, honori,
fortunis, & quieti publicæ officiant, si pu-
blica sint, genium delectent, si occulten-
tur; contra virtutis exercitatione nihil mo-
lestius hominibus fangi, nedum evenire que-
at, posteaquam autem diem supremum o-
bimus, par virtutis, & insigniorum quo-
rumvis flagitorum precium ac supplicium
supersit, hoc est nullum. Rationem sta-
tūs, civilem gubernationem, res cadu-
cas ante cætera respiciunt. Quod ad ex-
plendam infimarum rerum cupiditatem
magis conductit, hoc melius, & nulla mo-

râ amplectendum censem. Unde in adulteriis, incestibus, furto, r̄ pinis, cædibus nihil reprehensione dignum, cur amentur, repetanturque multa esse credunt, donec teguntur. Pulicem, ac Principem cædere perinde iis est, si ex cæde consequatur ad honores, fortunâsque accessio. Nulla mendacii verecundia. Fraudes, perfidiam, inter opes ingenii referunt. Rerum Dominam Religionem servire carnis commodis, ac sceleribus cogunt. Metum Numinis, quod explodunt, facundè plebi incutunt, reverentiam disertè commendant, ut in officio contineatur. Verbis pietatem attolunt, spirant, ut suum cuique jus reddatur urgent, cœlestium rerum amorem, & ardentem erga DEUM charitatem simulant, reipsa pietatem inter animas fabulas connumerant, alienis noctes, ac dies inhiant, solarum carnis illecebrarum, opum, honorumque desiderio teneantur.

232. His Reipublicæ pestibus proximi sunt Adiaphori, parum abest, quin perniciem nihil leviorē crecent. Secum

proinde diligenter exputent magistratus,
 quid in publicum exitium moliantur con-
 siliis, studiisque adiaphoriam civitate do-
 nari cupentes. Sive jus faciale, sive Theo-
 logiam pacificam, aut comparativam,
 sive cum vulgo Pietismum, sive alio
 quocunque speciosiore nomine nun-
 cupent, adiaphoria est ad perpetrandam ruptis
 verecundia frœnis universa flagitia postre-
 mus gradus. Conscientiae libertatem, cu-
 jus augustâ, sed fucatâ specie illudunt d[omi]ni
 litoribus Adiaphori indulgere idem est, at-
 que domo excipi Amphibianam, quæ gemi-
 no ore animis æquè ac principatib[us] virus af-
 flat, invertitque Religionem in quoddam
 Chaos, in bestiarum mores, in Atheismum,
 obedientiam in contumaciam unius, & opti-
 morum regimen in popularium plurimorum
 dominatum. Ita Sfortias Pallavicinus in
 Hist. Conc. Tridentini. Quemadmodum
 tantorum malorum radices evellendæ sint,
 attentè deliberent, quâ ratione in fatores
 tam pernicioſæ mortalibus herbæ animad-
 vertendum, tempori statuant, queis à
 Republica commendata est cura Reipublicæ.

(323)

CAPUT XV.

*Sanè qui omnia evidenter
credibilia, adeoque Romana dogmata
non credit, non DEI existentiam, non
ullum mysterium revelatum fide
salutari credit.*

233. **Q**uisquis DEUM existere: virtutibus præmia: sceleribus mortaliū supplicia esse decreta post fata non credit, fide necessaria ad salutem destituitur. Quotquot à DEO revelata dogmata, si evidenter credibilia sint, non credunt, nullum omnino dogma, atque adeò ne Dei quidem existentiam credunt, quod liquide ostensum est. Cap. 6. Romana dogmata omnia, ac singula evidenter credibilia sunt; ut patet ex c. 4. 5. 6. istius partis. Ergo qui omnia Romana dogmata non credunt, fide ad salutem necessaria destituuntur. Assumptio capitibus, quæ dixi, in luce collata, & luculentis comprobata est argumentis. Quod iis addatur nihil superest præ-

ter citatum c. 5. p. 1. Divi Thomæ ex 2. 2.
Quæst. 5. Art. 3. textum, quem hic to-
tum reddimus.

234. Dicendum, quod in heretico
discredente unum articulum fidei, non ma-
net fides, neque formata, neque informis.
Cujus ratio est, quia species cuiuslibet habi-
tus dependet ex formaliratione objecti, quâ
sublata, species habitus remanere non po-
test, formale autem objectum fidei est Veri-
tas prima, secundum quod manifestatur in
Scripturis Sacris & Doctrina Ecclesiæ, quæ
procedit ex veritate prima. Unde qui-
cunque non inhæret sicut infallibili & divi-
næ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ proce-
dit ex veritate prima in Scripturis Sacris
manifestata, ille non habet habitum fidei,
sed ea, quæ sunt fidei, alio modo tenet,
quam per fidem: sicut si aliquis teneat mœ-
ste, aliquam conclusionem, non cognoscens
medium illius demonstrationis, manifestum
est, quod non habet ejus scientiam, sed o-
pinionem solum: manifestum est autem, quod
ille, qui inhæret Doctrinæ Ecclesiæ, tan-
quam infallibili regulæ, omnibus assentit

quæ

quæ Ecclesia docet: alioquin si de iis, quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, non jam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Et sic manifestum est, quod hæreticus, qui pertinaciter discredit unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ. Si enim non pertinaciter, jam non est hæreticus; sed solum errans. Unde manifestum est, quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem.

235. Qui non credat DEUM existere, ea cum adhæsione tum intellectus, tum voluntatis ad testimonium, quo sum nobis existentiam manifestavit, ut paratus sit nihil negare, quod DEUM esse attestū cognoverit, eū ex testimonio creaturarum posse DEI existentiam habere perspectam, certamque non voco in litem. Eundem habere posse cognitionem non naturalem duntaxat, sed etiam supernaturalem, quod DEUS scelera ulciscatur, & virtutem seellantibus largâ manu præmia tribuat,

buat, nixam rebus creatis non nego. Indicant enim res creatæ mentem advertentibus, tum existentiam, & bonitatem DEI, tum peccati turpitudinem, & virtutis honestatem secundum illud Psalmi Cœli enarrant gloriam tuam: Dies diei eructat verbum, & Pauli ad Romanos Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conficiuntur.

236. Id genus DEI cognitio non in proprio, sed metaphorico sensu, non strictè, sed latè fides nuncupatur; nam innitur nexui creatarum rerum cum DEO, qui propriè testimonium non est, nequam enim est locutio; non producitur, ut exprimat mentem producentis. Hinc innixa ei cognitio est scientia potius, quam fides. Quod ad justificationem, atque adeò ad jungendam cum DEO amicitiam, & procurandas in cœlo sedes eadem non sufficiat Theologi omnes, Synodi Tridentinæ Patres omnes consentiunt. Quare merito Innocentius XI. hanc inter dñatas à se vigesimam tertiam propositionem Fides latè dicta, ex testimonio rerum creatarum

rum, similiue motivo ad justificationem sufficit, anathemate fulgurivit. Esse falsam ex disputatione 12. Cardinalis de Lugo, alisque passim, in trutina Theologica ostendit Dominicus Viva è Societate JESU in hunc modum.

237. Primò quia fides DEI Unius, & Remuneratoris, quæ est necessaria necessitate medii, & sine qua impossibile est placere DEO, ab Apostolo ad Hebr. 11. dicitur esse, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, præser-tim visionis beatæ, ut constat ex contextu: Fides autem lata orta ex cognitione creaturarum non potest assurgere ad attin-gendam beatitudinem supernaturalem, ad quam sperandam Fides debet disponere: Ergo Fides lata non sufficit ad spem præ-requisitam ad charitatem, atque adeò nec ad justificationem.

238. Secundò, quia ex Trid. Fides disponens per modum meriti ad spem, ad charitatem, & ad Justificationem, est so-lùm fides stricta nixa DEO reclanti. Hæc sunt verba Concilii Sess. 6. cap. 6. dispo-

nuntur autem ad ipsam justitiam, dum exicitati Divinâ gratiâ, & adjuti, fidem exaud tu concipientes, liberè moventur in DEUM, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt. Præterea Sess. 6. cap. 7. dicit, Baptismum esse Sacramentum fidei, sinè qua nulli unquam contigit justificatio; cùm autem Fides protestata in Baptismo sit solùm fides stricta, de hac intelligendum, quòd necessariò ad justificationem prærequiratur.

239. Tertiò à priori, quia quamvis in alia providentia potuerit DEUS velle justificationem impetriri absque prævio actu fidei disponentis ad illam per modum meriti de congruo, defacto tamen in præsenti providentia non solùm decrevit, quòd fides justificationem præcedat testante Apostolo, sinè fide impossibile est placere DEO, sed etiam decrevit, quòd fides per modum meriti de congruo præcederet (voluit enim fidem esse initium salutis, fundamentum, & radicem omnis justificationis, ut habetur in eodem Trid. cap. 8. & nisi haberet rationem meriti congrui-

sequ-

sequeretur, quod non ipsa, sed auxilium supernaturale prævium ad fiduciæ deberet dici salutis initium) atqui sola fides strictè dicta utpote obscura, potest esse libera, & habere rationem meriti congrui, non verò fides lata, quæ cùm sit evidens, non est libera: ergo in præsenti providentia sola fides stricta est necessaria necessitate medii ad salutem; atque adeò fides lata non sufficit ad justificationem, estò in alia Providentia posset sufficere.

240. Apprime novi huic postremæ, & alteri rationi locum apud non Romanos fore nullum. Nusquam esse optabant Synodus Tridentinam. Cùm meritis ipsi careant, si allegentur ab aliis, rident. Cusa Tridenti tela vocant vitrea. Luculentas nihilominus, quoties in se distracta sunt, accepere plagas, accipiuntque indiges. Erubescunt homines alioquin minimè verecundi, si patescat sublatis de medio meritis, nihil iis inesse egregii, unde laudem mereantur. Idcirco secum iniquè agi quiritantur, si quis id dicat scribatve. Si quibus, certè sibi contestantur bona

na opera cordi, ac curæ esse, ut qui fidem
 habeant quæ fructibus bonorum operum
 carere nequeat. At primum est conjecta-
 re meliora eorum opera, quæ laudant,
 frequentant, unde non indignos laude se
 se existimant, Judæ Magistrum prudentis,
 aut Joab Amasam interficientis osculo si-
 millima esse, cùm in responsione Catech-
 simi ad quæstionem 62. sanctissimorum
 quorumvis optima opera nihilo minùs,
 quam osculum Judæ, & Joab pessima vo-
 luntate perdendi Christum, & Amasam, es-
 se peccatis sordidata fateantur. Ex postre-
 ma tamen, & altera hac ratione possunt
 non contemnendum capere emolumen-
 tum: possunt cognoscere, quo in pretio
 Tridentinis Patribus, ac omnibus Roma-
 nis sit fides, adeoque graviore se se liberare
 errore malè putantes Tridentinis Patribus,
 & quibusvis Romanis fidem esse flocci, so-
 la opera aestimari. Ad docendos, quòd in cœ-
 lum nemo unquam penetrabit se se, qui
 DEUM existere non crediderit, estò ve-
 rum Numen, quantum naturalis ratio di-
 ctere potest, agnoscat, & pia mente ve-
 nere-

neretur, sufficient etiā illa, quæ ad ostendendū fide divina destitutis attulimus C. 2. ac 3. partis primæ aditum ad beatitudinem non patere.

CAPUT XVI.

Estò non foret omnino impræbabile, sed verosimile, quòd liberum sit nonnulla Romanorum dogmata probare, & improbare, Religio Romana ante cæteras esset amplectenda. Qui hanc contemneret in prudentiam vehementer peccaret; salvus esse non posset.

241. **S**i verum sit ad Fidem salutarem amplius non requiri, ac ut credamus communia omnibus, aut plerique Christianis dogmata, nihil in Romanis desideratur ad fidem, sive qua impossibile est placere DEO: hi omnes, quod ad fidem salvati, possunt. Nam etiamsi minime

nimè verùm foret, vel Deus non exigeret, ut credamus septem esse novæ legis Sacra-
menta : Romano Papæ supremam Chri-
stum contulisse potestatem regendæ Eccle-
siæ: prodesse opera supererogationis,
hæc credentes non negant dogmata Chri-
stianis communia , sed firmiter confiten-
tur. Igitur non destituerentur fide modernæ
providentiæ vi, ad salutem necessaria. Con-
trà si DEUS vult, si imperat, ut ultra com-
munia inter Christianos, complura alia
controversa credamus dogmata: si æterna
minitatur supplicia non credituris, deficit
adiaphoros fides illa, sinè qua impossibi-
le est placere DEO. Tutior itaque est Ro-
manorum Fides, ac Adiaphororum. A
periculo damnationis æternæ Romani,
sunt remotiores, quàm Adiaphori. Nam
sive requiratur, sive non requiratur ad fi-
dem, quacum DEO placemus, sinè qua
displicemus, ut præter communia, creda-
mus quædam particularia dogmata, id ge-
nus fide Romani sunt prædicti. Adiapho-
ri præcisè eo casu hanc fidem habent, quo
sola

sola credi dogmata communia omnibus re-
quiereret DEUS à mortalibus.

242. Facilè assentiuntur Lutherani Romanis suam fidem fraudi ac exitio non fore, idem dant nobis Calviniani, quamvis Calvini, & Lutheri Evangelium quiq; si credatur, ad salutem sufficere dicant, & mutuò se se damnent. Consulenti aliquando Matronæ nobili in Anglia, ac per superos omnes obtestanti verùm ut de Religione diceret Magister non Romanus, *cujus ipsa tot formas tam dissimiles vel unica in Anglia conspiceret, responderat: Vi- ve cum Calvino, cum Catbolicis morere: séque ità vivere, ità mori velle, affirmabat.* Ità Juvencius in Historia Societatis JESU Lib. 13. Henrico IV. Galliæ, cùm à solio ob Calvinianam sectam omni conatu Romanorum arceretur, non unus quis, sed totus Hugonotarum Theologorum Senatus respondit uno ore, summo consensu, sínè flagitio Calvinum deserrere, sínè jactura salutis inter Romanos secundùm nobiliorum Procerum vota nomen dare posse. Idem Serenissimo Bolfen-

bit-

bitliorū Duci, cùm Augustissimo filiā in thōrum tradere cunctaretur ea lege, ut in domum simul ac fidem sponsi transeat, dēdēre consilium Imperii Magistri. Quòd Anglæ Mulieri Galvinianus, mihi Saxo in Hungaria cùm per Comitatum Sopronensem junior in Comitatum Castriferrej i-ter facerem, visō homine ab humanitate non alieno, sermonem de Religione inse-renti asseveravit: vitam commodiorem cum Lutheranis, mortem optabiliorem cum Romanis ajebat. Non esse diuersum reliquis Calvinianis juxtā ac Lutheranis, atque alijs plerisque judicium præcipue pe-ritioribus planè arbitror.

243. Mortem propinguam, & di-vinum Tribunal prospicientes optimè sibi consulere volunt. Honorum, opum, quo-rumvis commodorum istius vitæ spes, a-mor tunc languescunt; judicium non per-vertunt. Morituris omnia deserendi ne-cessitatē inspectantibus solæ rationes æ-ternæ, quæque ad parandam alterius vitæ felicitatem valent in deliberationem su-muntur. Optima tutissimāque deligun-

tur. Nullum, qui Romano ritu constanter, ac integrè vixit, tunc fidem suam damnasse vidimus. Nullum probâsse, & amplexatum esse Lutheranam aliámve audivimus unquam. Quin plurimi inter equuleos, & expeditas ad cædem secures, oblata vitæ, honorum, opúmque gratiâ si scéctarias partes amplectantur, mille prius optârunt mortes ne à Romanis desciscant. Hanc unam ad salutem viam patere profitebantur, atque omnibus denunciabant. Læto vultu, soluto ore, ad locum instantis carnificinæ progrediebantur; apparatum feralem aspiciebant, colla securi subjiciebant, ut facile cerneret ad præmium vocari, non duci ad supplicium. Columna novæ Ecclesiæ, Luthero Calvinio Blandratæ tota vita addictissimos, & Romanis infensissimos execrari familiarem scétam, damnare probata consilia, cùm Ecclesia Romana se se reconciliare, cum DEO Sacræ Confessionis beneficio redire in gratiam, ex formula Tridentini fidem proficeri, Romanósque mori sæpenumero audivimus, vidimus. Quæ istiusmodi mu-

tationis causâ? quæ in Religione Roma-
na constantiæ? sanè non res caducæ, ni-
hil cuius gratiâ præposterè Religionem
amplecti possumus, donec peregrinamur
in hoc mortali corpore: statim enim vi-
tam cum morte, præsentia cum futuris,
breves dies cum æternitate mutaturos, id-
que haud obscurè cognoscentes comme-
moro. Itaque quòd cum Calvinô, & Lu-
thero, cū Brandrata vivere carni, cū Ro-
manis vivere & mori conducibilius animæ
existiment Romanorum hostes, Romanis
accedunt morituri, Romani in arrepto
firmi proposito moriuntur.

244. Id rectè, ac sapienter ab eis
fieri, atque ut ab omnibus mox fiat, non
optandum modò, sed necessarium esse,
siquidem salutem æternam animorum cu-
piunt, palam est. Ægri Medicinam corpo-
ri applicamus, quam salubrem, peregrini
viam inimus, quam comodam, securám-
que, vela facturi navem concendimus,
quam in fluctus maris, tempestates, &
ventorum vim validam, pugnaturi singu-
lari certamine sumimus tela, quæ ad de-
fen-

fensionem apta magis plures non imperiti censem. Qui secus facerent etiam Calvinianorum & Lutheranorum judicio gravioriter à præscripto prudentiæ deerrarent.

245. Si quis ex lethali morbo decumbens medicinam certò innoxiam, & malo depellendo à corpore omnium judicio natam aspernaretur, sumeretque aliam, quæ ægritudinem auctura, novaque mala creatura corpori censeretur non ab imprudentibus, estò nonnullis utcunque salubris videretur, non jam à præcripto prudentiæ deerrans, sed fatuus diceretur. Religionem Romanorum comparatione adiaphoriarum tutiorem, ac ab errore remotorem ostendimus. Solam hanc Romani salutarem esse ajunt. Calviniani, Lutherani, Unitarii plerique non inficiantur esse talem, quamvis singuli præterea suam quoque salutarem credant, & cuivis alii præferant. Soli Lutherani Lutheranam, soli Calviniani Calvinianam, soli Unitarii Unitariam, cum adiaphoris Religionem existimant sanctam. Romani has omnes sectas perniciosas esse contendunt &

invictis rationibus probant. Romanam nisi unusquisque integrum profiteatur, certum habent, quod salvus esse nequeat.

246. Si animae, & corporis salutem pari dexteritate querimus, si non minori diligentia in spirituales, quam corporeos hostes arma distingimus, si ad beatitudinem aeternam, quae finis creationis nostrae, & temporaneae vitae est, tantum accuratio-ne, quantam peregrini ad terminum susceptae itineracioni propositum tendimus, praedilectione, & quavis alia Religione Romanam amplecti debemus, quae comparatione adiaphoriarumque ceterarumque tutior, & plerorumque omnium opinione expeditior ad salutem animae via, adversus spirituales hostes validior armatura est, dum reliquas pauci commendant, pene omnes damnant. Id nichil facimus, non a prudenter duntaxat prescripto deviamus, sed nosmet gravissimo obstringimus flagitio, quod ne consuetam quidem in tractandis temporaneis negotiis diligentiam, ad curam animae, & aeternam salutem adhibeamus. Veniat in mentem si quis in negotiis

tiis temporaneis error interveniat, & ferendum esse, & emendari posse; animi post mortem damna sunt irreparabilia, & jactura salutis malum infinitum. In hoc cavendo socrisia, in illis avertendis incuria crimen est sempiternis, si alia decessent, dignissimum suppliciis.

247. Hæc quisquis effugere aves ita ex adiaphoria, & dictis haecenus delibera, monet sapienter Adamus Burchaber è Societate JESU: *Catholici Doctores magni auditoriatis, & rationis pondere afferunt, salvari neminem posse extra Romanico-Catholicam Ecclesiam: omnes aliarum sectarum Theologi concedunt in sua quemlibet fide, ac Religione Christiana salutem æternam obtainere, posse.* Ut igitur in resummi momenti, æternamque animæ salutem concernente securissime juxta ac sapientissime procedam, antiquam, Catholicam, Romanam Fidem, & Ecclesiam amplectar; in hac namque ex communi omnium Theologorum sententiâ salvari, servariique æternum potero: minimè vero in quavis alia fide, & secta juxta Catholicorum Docto-

rum assertionem auctoritate & ratione gravissimam. Sic olim Henricus IV. Magnus Franciae Rex sagacissime discurrit, idque maximo suo bono; Regnum quippe Galliae hanc ratione obtinuit, & ad Cœlestē Regnum sibi jus aquisivit. Sapientissimi bujus Regis exemplum quisquis fuerit secutus, non minore id bono suo faciet, veram nāmque animi pacem Regno quovis optabiliorem obtinebit, & regni Cœlestis promissionem à Christo JESU habebit.

248. Unde in cōperto est ad calumnias pertinere, quod Puffendorffius scripsit, nullas inveniri posse rationes, ob quas imperiū Sacerdotale exēmplo & svasu Lutheri semel excusū, cuiquā placeat nisi fortassis postgenitis & ab imperio exclusis Principib⁹, desumptas ab utili, scilicet si cui spes sit in partem emolumentorum ejus Regni sacrorum pervenendi, seu ut Ecclesiasticis dignitatibus, & opimis beneficiis potiatur, aut apud Pontificios Principes opes, ac munera nanciscatur, quæ apud protestantes invenire non poterat. Principibus item imperio potientibus interdum si majoris pretii ditionem,

quam

quam in præsens possident, ea sacrorum mutatione optenturos se sperent. Sicut Henricus IV. ut Galliæ Regnum optineret, & Sigismundus Sveciæ Princeps, ut Poloniæ Regnum simulcum Svecico possidere posset, Romanos ritus assumpsit; & si hic eam ob causam aviti Regni jacturam fecit.

249. Enimvero nec emolumenta Regni sacrorum, nec opes ac munera, quæ apud protestantes inveniri non poterant, ad deserendas Evangelicorum, & complectendas Romanorum partes vim habent alliciendi iunctantes cum morte, ut quibus in prospectu est insuperabilis necessitas extemplo dicendi æternum vale mundo, & suppicia metuenda, aut præmia speranda alterius vitæ, prout è cætu melius, aut sequiūs fidem adhibentium controversis dogmatibus ex arena discesserint. Tales verò quot à Romanis ad Evangelicos desciscunt? Neq; unum nominabitis, qui continenter antea vixerit instituto Romanorum. Contrà prolixum syllabum emortuali die Lutherum, Calvinum &c. ejurantium, & Regi sacrorum dicto Sacramen-

to in Romanum, inde in Cœleste Regnum transiuntium, quot annis texere possemus. Numero 204. è trajecto per corpus palo Stephanum Szarka ponentem cum vita religionem Evangelicorum memoravimus, pro qua in legitimum Regem arma Dux facinorosis ad parricidium Patriæ sustulerat.

250. Eodē quo hæc scribo, 16. Calēdas Febr refertur, Joāñē Stembler in Kolos-Monostor Theutonē gente, cordonenī arte, cūm persentisceret labante vita proximā migrationem petiisse V. Idus Januarii, ut Sacerdos ad audiendum peccata confitentem, & à Lutherana hæresi absolvendum arcessatur. Arcessitur, adest, audit, absolvit, epulo insuper Cœnæ Domini reficit, corpore, & sanguine Christi, Sacro Ceromate corroborat ad supremam luctam. Non credebat æger pictati factum satis, nisi altero præterea die imbecillitatem corporis fulciente animi robore in Claudiopolitanum S. J. Collegiū adreperet, ut condiscat probiūs disciplinam Romanorum. Post salutarem institutionem in Monostor simul

simul ac lectulum rediit, & 4. inde die rur-
sus à peccatis solutus necessitati naturæ suc-
cubuit Romantis XVIII. Calendas Febr
qui à puero in virum crevit Lutheranum.
Sic Sacerdos ad absolvendum arcessitus ad
me retulit. Pagina deficeret censem-
tem omnes hujus similes. Ducem Nor-
tumbriensem præterire nefas ob clarita-
tem exempli. Edvardum Angliæ fucatâ
ambitione obtentæ religionis incitârat, ut
exclusâ Mariâ legitimâ hærede itâ succes-
sionem regni disponeret, quò in suam so-
bolem devolveretur. Eapropter ut per-
duellis capite damnatus religionis errores
abjuravit, & è patibulo populum est cahor-
tatus ad fidem Catholicam excolendam,
expellendamque hæresim, ejusque conciona-
tores tanquam publicorum malorum semina.
Itâ in Hist. Trid. Sfor. Pallavicinus ex Spon-
dano ad annum MDLIII.

251. Illustriora superant exēpla: Joānes
Elector Saxoniarū anno 1532. egregius antea
Lutheri fautor, ad extrema deductus ejurat
seclarium, & catholicè moritur: ut de hoc
ipso testatur Joannes Fridericus, Elector

item Joannis supra nominati filius in quādām ad Wilhelμum Bavariae Ducem 24. Augusti 1532. scripta epistola; cuius autographum Monachio in Ducali Archivo assertum, descriptum vero ab Ferdinando Maria Bavarō 1672. Viennam ad Cæsaream aulam missum est. Albertus Wenceslaus Eusebius è Ducibus Fridlandiæ & Sagani postquam è gravi corporis ægritudine conceptō ad Augustissimam DEI parentem votō, alvus evasisset, dignō posteris exemplō, relictō Lutherō, Romano ritu expiatus est. Carolus II. Rex Angliæ anno 1685. 16. Februarii catholice morituri. Mortalem vitam inter ac tumulum mediis cùm completerentur Romanam Religionem, claustrī parietibus voluntariè condens se se meritō adjungitur Maria Sophia è Ducibus Gottorpiānis, postquam ad Cellas Marianas Styriæ Lutherum ejurasset. Ità Partinger in Libro cui titulus, Status animæ immortalis.

252. Cùm in Transylvania scribam, non committam, ut cum illato terræ in Transylvania corpore Joañis Sturz memoria sepeliatur. Multa fecit in diversis provin-

vinciis stipendia. Sublimiores subcenturioni in Legione Heisteriana, quod narrabat ipse, gradus militiae ostentabantur, & si inter Romanos nomen daret promittebantur. At iacassum; vehementer, imò id unicè in Romanis Adiaphoro displicuit, quòd se solos posse salutem animorum consequi crederent, ac reliquis persuasum vellent. Hunc demum obicem ne se ab hæresi explicaret, supremi vis morbi removit Hebetatis oculis addiscernēdas fluxas voluptates, & intenta mentis acie ad rationes æternas multa comperit in novis sectis quorum DEO nulla queat reddiri ratio, quæve ultricem DEI iram provocent, supplicia mercantur. Contrà in sacris Romanis proba probatāque universa, unam omnium ex æquo credendorum esse rationem, aut sine exceptione probanda, aut nulla parte capessenda intuebatur, & cùm quædam rejici penitus sine culpa gravi non posse in comperto sit, sine exceptione complexus est omnia, non adductus cupiditate temporaneorum commodorum, à quibus morbo se propediem avulsum iri persenti-

scebat, sed sanctitate disciplinæ, quæ ad beatam immortalitatem sola æquat iter. Ità Sacerdos, à quo Sturz M. Vásárhelini ab hæresi, ac reliquis peccatis solutus est. Ungarorum gratiâ reticere hic non possumus Calvinianorum antistitem Georgium Csulai. Morti proximus anno MDCLXI, nobis accessit, Calvino anathema dixit.

253. Principibus quoq; Imperio potiētibus, præter majoris ditionis spem, esse rationes posse permutandi libertatē ab Imperio Regis sacrorum cum Christiana erga eum subjectione documento est Christina Sveciæ; nec aliorum Principum exempla desunt. Sinè secta Lutherana retineri ab se diadema, sinè Religione Romana Cœli spe ali mortales non posse solers, ac erudita supra sexum virago pernoscebat. Ergo ne Regnum Cœlorum per Lutheranas ceremonias in discrimen adducat, detractum capiti diadema in alieno sponte collocat, sceptrum Patruo in manus tradit, heri Regina prætorianis cincta, Regiâ, gazis, ipso natali solo cum novo Evangelio deictis, Germaniam pauculis cum ancillis o-
bit

bit. Ubi instituto Romanorū Regi sacrorum obsequenter reliquum ætatis exigat, in Italia tectum querit, Romæ reperit. Illic Sacramento Pápæ dicto pietatis studiis celebris anno MDCXXXIX. laudatissimam vitam *morte justorum* claudit, atque in illud demigrat regnum, cujus gratiâ maluit in regno sacerdotali parere, quām jure Lutheri exempta omni humano imperio jus populo dicere.

254. Christinae simile præbuere exemplum, pari sunt posteris documento, esse momentū ingens in sacris Catholicis, cur nulla spe augendi aut consequendi ditiones amentur ante reliqua, Principes, certi subjectum populum cùm in omnibus, tum in suo Rege infestissimum esse religioni Romanæ, nec ignari pene conclamatū iri de possessis provinciis, si de reducenda in ipsas deliberetur, qui nihilominus & professi sunt Romanam Religionem, & de reducendâ haud timidè deliberârunt. Tam præclara voluntate fuere Jacobus II. Caroli I. Angliae regius filius, nam cum *Jacobo Edwardo, & Maria Ludovica Princi-*

cipibus hæredibus fidem Catholicam suscepta
exilio in Gallia (ubi etiam 1701. 16. Sept.
ad S. Germanum mortuus est) celebrem fe-
cit : neque aliud , quam Romana sacra ,
Jacobo Edvardi filio ab Anglicano throno
impedimento esse videtur . Ità par multò splēdi-
diùs cluxit hæc generosa voluntas in Maria
Stuarta Scottiæ , quæ post amissum regnum
libertatem quoque ac vitā , & quidē securi e-
vangelicæ sororis crudeli imperio vibratā
perdidit , quod in Scotia romana sacra con-
stabilire niteretur . Eluxit in Maria Angliæ
quæ sumo cū suo periculo Angliam cū Ro-
ma adduxit in gratiam , sed posteaquam mo-
rietur Maria fædiùs rebellaturam in Ro-
mam . Adde his Catharinam Brandebur-
gicam , non conjugem modò Principis , sed
& Principem reapse Transylvaniæ , quoad
Calviniani thalamo adstringeretur , & re-
geret Calvinianam , dum thalamo regno , ca-
stris dotalibus evolveretur , Romanam .

255. Patrum Societatis JESU hor-
tatu Doctor Caritrus Jacobo Regi Angliæ
à concionibus , desertis hæreticorum castris ,
militiam meliorem secutus , in Belgium
per-

per causam curandæ Spadanis aquis ægræ valetudinis; inde Parisios, ubi supremum diem clausit anno MDCXIV. concesserat. Peragravit Angliam nobilis exemplifama: quippe non hæresi tantum, sed maximis honoribus opib[us]que nuncium remiserat. Facti sui rationem per literas Regi reddit: à quo in Angliam, amplissimo Episcopi gradu promisso, sed frustra, est invitatus. Royentreus Concionator alter dicendi egregiâ facultate prædictus descivit à Calvinianis, sed in idem barathrum fuerat revolutus, de quo eductus Eboracensi obtulit se, non sinè lacrymis, paratissimum ad quoslibet cruciatus: & ad ejus pedes diplomata duo projectit: altero condonaverat ipsi Rex capitalem noxam, quam Ecclesiæ Romanæ partes amplectendo communiſſe dicebatur; altero potestatem amplissimam de rebus divinis ad populum dicendi ab Eboracensi antistite acceperat. Exquisito maſtandus suppicio credebatur: invidiam veriti judices ac famam, illum Anglia clam ejecerunt. Ità Juvencius

Nunquid hi videre nihil praeter spem opum in complectenda religione Romana?

256. Dum direpta bona Ecclesiastica, adempti Romanis honores in Hungaria & Transylvania essent præmia perduellionis & secessionis à Papa, Georgius Drugeth de Homonna anno MDCII. Christophorus Sóos de Sóvar, Lucas Franciscus inter dacicos Saxones eminentior, & Comitiorum jussu Principis Præses, Christophorus Turzo, Michaël, & Sigismundus Forgacsii, Sigismundus anno MDCIII. illi MDCII. Anna Perneszi uti proxima sangvine, ita acceptis injuriis causâ religionis mutata & remotissima à Bacskajo anno MDCVI. Christophorus Bánfi anno MDVIII. damnarunt evangelicos, accessere Romanis.

257. Pro insanis habendi sunt, qui amore, aut spe comodorum apud protestantes desperatorum censuerint horum quenquam ejurasse factionem sectariorum, in fidem ac clientelam Romani Pontificis transisse. Date evangelici jam jam morituros, date tantos, tam perturbato rerum vestrarum statu viros à nobis ad vos deficientes. Nominabitis

bitis, statim ac clangor novi evangelij exauditus est, ingenti numero etiam è claustris, viros atque mulieres presilentes, invisis eorum Evangelistis adhaerentes. At aetate florebant, cupiditatum aestu deflagrabant; vinum preciosum, unguenta, rosas, non mortem cogitabant; impiorum, de quibus Liber sap. C. 2. simillimi uti *creatura tanquam in juventute celeriter, ubique relinquere signa latitiæ, non pati, ut usquam locus, homöve sit expers ipsorum luxuriæ cōstituebat.* Nominare potestis Duditium Quinque Ecclesiarum, Hermannum Coloniensem antistites, Albertum Ordinis theutonici Magistrū, Cœnobitas. Verum hī nō prius ad religionem evangelicam, quam ad sacrilegas nuptias animum applicuerunt, nil sacrorum causâ voluntariè dimiserunt, sed jure sacrorum ad prussicam & Coloniensem ditionem eripiendam Ecclesiæ sunt grassati religionis velum tegendæ, intemperantiæ quæsiverunt; non, usurpatas iniquè ditiones, legitimis Dominis, nisi coacti exercituum terrore reddidere, non pellices abigere animum induxerunt.

CAPUT XVII.

Conscientia, bona fides adiaphoris patrocinari non potest.

258. **N**on honestas, non in honestas è rebus, quarum amor præcipitur, aut vetatur in affectus animi manat aliter, ac medio judicio, quod aperit sinè cujusquam injuria posse has, non posse alias sinè injuria legislatoris amari, & nonnullas, si præceptæ minimè sint actiones, neque vetitas, sed consultas, aut arbitrio hominum à legislatore permissas esse. Judicium hoc conscientia appellatur, & proxima moralium actionum regula, non quidem *ut quod*, quæ nimis vetet, præcipiat, aut remittat arbitrio hominum functiones; sed *ut quo*, quæ unumquemque tempore commonefaciat vetantis, præcipientis, permittentisque regulæ quid agendum, quid cavendum.

259. Tanta ejus vis est, ut peccatum qui contra conscientiam veram, tum qui

qui contra conscientiam erroneam operatur, hoc est quisquis adversus judicium, tam verum, quam falsum, quid agendum quid omittendum sit ex voluntate DEI, non nihil agit, vel prætermittit. Nam peccat, qui liberè amplectitur rem, cuius amorem prohiberi à DEO judicat, aut omittit actionem, quam præcipi putat; quippe eò ipso si non *formaliter*, certè *virtualiter* contemnit supremi legislatoris præcipientis, aut prohibentis auctoritatem. Quid enim? vult transgrexi legem: amat malitiam, si amat, quod vetitum apparet, tametsi non vetetur, perinde ac amando tunc dum amare vetatur; immo re ipsa legem transgreditur, non particularem quidem, sed universalem, quæ denuntiat malum non esse faciendum: non contemni impune legislatoris auctoritatem: non recedendum affectu à fine ultimo. Atqui volens transgrexi legem actione, quam nulla particularis lex prohibet, aut amans, quod amari DEUS permittit, dum amorem existimat vetitum, legislatoris auctoritatem contemnit, in laudatas

leges committit. Imò particularē quoque legem transgreditur: nam quæ prohibet ne mentiamur, ne injustitiam exerceamus, pariformiter prohibet ne mentiri, ne injustitiam exercere velimus.

260. Adde juxta Apost. Rom. 14.
Quod non est ex fide peccatum est, seu quidquid non fit ex firma persuasione, quod à DEO consulatur, aut permitatur, sed vetetur peccatum est. Item scio, & confido in Domino JESU quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. Sensus verborum est: Scio, fatus gratiâ JESU Christi, qui nos à jugo legis Moysæ liberavit, nullo cibo veluti immundo nos inquinari, præterquam, si quis existimet aliquam escam (v.g. carnem suillam) etiam nunc immundam, & vetitam esse: talis enim esca illi immunda, & illicita erit, propter errantem suam conscientiam. Et paulò post, qui autem discernit (inter cibos, ratus aliquos secundùm legem Moysis immundos, ac prohibitos esse) si manducaverit damnatus est. Quia non ex fide, id est,

*est, quia non agit secundum conscientiam
Omne autem quod non est ex Fide, id est:
quod non fit secundum, sed contra dictamen
conscientiae, peccatum est.* Ità Layman.

261. Hac certissimâ doctrinâ Adiaphori, & quotquot malunt spiritui privatim, quam publicè per Ecclesiam, & Fidelium consensum docenti auscultare videntur abuti, ac reipsa abutuntur ad confirmandos se in errore perniciosissimo. Spiritus iste privatus non est aliud, quam dictamen jam quid agere vel cavere, jam quid credere, quid fide minus dignum habere oporteat. Inde consecutaneum existimant; in conscientiam, ac morum regulam se commissuros, si ductum privati spiritus non sequantur; si eū sequantur, regulā morum sequi, credere & agere bona fide, etiamsi abripiantur in errorem, quod agant & credant, quæ agenda & credenda esse dictat ratio, adeoque si errent justè reprehendi non posse.

262. Ne in laqueos se induant, cum iudicio erramus circa ea, quæ agenda, vel credenda sunt, advertant contingere

interdum, ut possimus, ac teneamur: interdum ut non possimus, aut certè non teneamur errorem dictaminis cognoscere, ac deponere. Fieri quippe potest ut mentiendum secundùm legem, vel credendum ob revelationē DEI, quòd DEUS sit quartus, Eucharistia symbolum corporis & sanguinis Christi cùm prudenter, tum imprudenter existimemus. Si discendi occasionem negligamus, vel ex leviculis rationibus constituamus, quid agendum, quid credendum ab hominibus, ut DEUM piè venerentur, & finem ob quem sunt conditi, consequantur, equidem tunc imprudenter existimamus mentiendum esse, ut proximi vitæ consulamus, vel credendum, quòd DEUS sit quartus, Eucharistia symbolum corporis & sanguinis Christi. Quæ enim major singi potest imprudentia, ac leviculis moveri rationibus, & ne eam quidem adhibere diligentiam, quamcum minora curamus negotia, ad statuendum de gravissimo omnium negotio. Dictamen sic formatum est conscientia culpabiliter erronea.

263. Fingamus ex adverso plebejum discendi doctrinam salutis apprime cupidum, & idcirco in audiendis magistris disciplinæ Christianæ solerterem. Si Parochus constanter tradat divinitus revelatum esse non trinum, sed quaternum in personis DEUM, non ipsum corpus ac sanguinem, sed symbolum corporis & sanguinis Christi in Eucharistia esse, & plebejus dictum, ac alienissimum à mendaciis Parochum arbitretur, adeoque ei injurium se fore putet, si errantem aut mentientem in tradenda fidei doctrina suspicetur, prudentissimè pronunciabit à se credendum ob revelationem DEI, quod DEUS non trinus, sed quaternus sit; non corpus & sanguis, sed symbolum corporis & sanguinis existat in Eucharistia. Non tenebitur hoc dictamine abjecto secus judicare, sed in suscepto, nisi imprudens esse velit, perseverare. Proinde dictamen ac conscientiam inculpabiliter erroneam habebit.

264. Dum contingit ut errorem dictaminis cognoscere, & pravum judicium cum vero permutare possimus ac tene-

amur, clarum est in primis vetari ne agamus, ne tergiversemur credere adversus judicium, quo quid agendum quid credendum sit definitivimus; deinde imperari severe a DEO, ut iudicium erroneous saniore emendemus, quod efficere possumus. Unde tam qui adversus tale dictamen agunt, aut non credunt, quam qui secundum id operantur gravi se piaculo obstringunt. Faciamus enim dum districto gladio plenus ira quaerit, num domi tuæ lateat suus hostis, te existimare, quod obligaris, ut cum mendacio illic eum latere neges, ne a furente confodiatur, quia non ignoras quod tenearis, dum potes, morti subducere fraterem. Si hostem furentis non negas cum mendacio illic latere, contemnis auctoritatem legislatoris vetantis, ne omissitas, Vis moralem malitiam, quæ in omissione mendacii apparet, dum mendacium præceptum creditur, tu tamen mentiri renuis. Si arbitraris DEUM revelasse, quod in Eucharistia non sit corpus & sanguis, sed symbolum corporis & sanguinis Christi,

credas autem illic verè corpus & sanguinem, DEI testimonium non recipis, auctoritatem loquentis non revereris, sed proteris: vis fæditatem infidelitatis volendo asseverare aliud, quām à DEO manifestatum censeas. Igitur peccas, estò falsum sit, tum quòd DEUS in Eucharistia non corpus, & sanguinem, sed symbolum corporis & sanguinis Christi revelaverit; tum quòd velit, ut mentiamur, quando mendacio fratrem certæ cædi subducere possumus.

265. Sin ut his iudiciis in saniora non mutatis mos geratur, mentiaris negando quemquam domi tuæ latere, aut credendo solum symbolum corporis, & sanguinis in Eucharistia, pari ratione peccas. Quippe eo casu voluntas, tametsi in fæditatem mendacii, aut irreverentiam Divinæ testificationis non feratur affectu in se ipsa, cùm neutram cognoscat, sed mendacium honestum & assensum imperatum, adeoque DEO minimè ingratum censeat; attamen amplectitur tum mendacii fæditatem, tum irreverentiam divinæ testifica-

tionis in causa, videlicet negligentia descendit veritatem, & ignorationem, quod mendacium committendum non sit ad consuendum vitae proximi; quod DEUS non symbolum corporis, & sanguinis, sed verum corpus & sanguinem Christi in Eucharistia revelaverit. Quoniam eam negligentiâ, eam ignoratione voluntas delectatur, dum intellectum non flectit, ut condiscat veritatem, & ignoratio veri causam praebet mentiendi, ac non credendi, quod credendum est. Quare tum & fæditas mendacii mentienti, & error opinionis, quod in Eucharistia sit merum symbolum corporis, & sanguinis, ac irreverentia DEI testificantis illic verum corpus, & sanguinem Christi esse, credenti est libera, & voluntaria; nequit non imputari ad pœnam, mendacii turpitudinem, irreverentiāmque divinæ testificationis non exhorrescentibus, debitam.

266. Secus statuendum est de dictamine conscientiae errore laborantis, quo voluntas intellectum expedire nequit, aut non tenetur; quemadmodum contingit,

dum

dum non adest occasio discendi , quid secundum voluntatem DEI agendum , quid ob testimonium credendum sit , aut non observamus nos de rebus ex munere Christiani gerendis haud esse instructos , tunc enim obligationem locandi operam in descendis , quæ credere , ac agere debeamus sine culpa non animadvertisimus . Huic conscientiæ si quis obsecundet mentiendo non latere illum domi suæ , dum , qui latet , ad cædem quæritur ; aut credendo DEUM esse quaternum in personis : in Eucharistia , non esse corpus & sanguinem Christi , parocho famæ probatæ sic docente , equidem procul est peccato , cùm fæditatem mendacii voluntas non complectatur , nec imperet , ut intellectus eat in errorem divinæ testificationi adversantem . Non complectitur enim eā fæditatem , neq; errorem imperat in se , quia neque fæditatem neque errorem cognoscit . Non complectitur , non imperat in causa , nimirum in conscientia erronea , quia supponimus errorem ipsius comperiri non posse , aut ad

explorandum , vel deserendum obligatio-
nem nullam adesse.

267. Igitur secutos privati spiritus
ductum , si prolabi in errorem contingat ;
haud volentes credere , quod DEUS credi-
vult , conscientia erronea à peccato incre-
dulitatis gehennâ plectendæ non excusat ;
nisi invincibilis sit , adeoque nisi errorem
dignoscere nequeant , vel prudentem ra-
tionem aliter , ac sentiunt statuendi de re-
bus credendis non habeant . Jam adia-
phori , aliisque quoties ex nobis audiunt ,
gravi in errore versari se se , maximi pon-
deris documentis in templis , voce in fa-
miliaribus conversationibus , tot ubique
libris id comprobamus . Pro dogmatis
Romanis velut divinitus traditis omnium
temporum , sapientum , sanctorumque
consensum allegamus indubitatis monu-
mentis . DEUS toto orbe in tot gentibus
indole ac moribus diversis conspicuus hor-
tator est ad capessenda , infinitos Martyres
sacrorum Romanorum causâ immania
per-

perpessos in iis retinet. Hæc profectò cuius adversantium Romanis esse satis debent, si non ad abjiciendas opiniones ex privato spiritu haustras; certè ad explorandum num omni careant vitio, an imbecillibus non tantur fundamentis, utrum re ipsa tam impia sit, quam adversarii remotis arbitriis impiam jactare solent, Romanorum doctrina. Hoc si facerent illico testimonia DEI à nobis stare cognoscerent, facta enim sunt credibilia nimis, errores suos adverterent, modos mille pervenienti ad veritatem pviderent.

268. Miracula fecisse orbi testatissimam Christi Divinitatem latere neminem potest. Si quis edita patefaciendæ divinitati miracula ignoret, de divinitate Christi persuationem in orbem universum permanuisse, omnes apices doctrinæ cùm per Christum, tum per Apostolos annunciatæ ubivis terrarum fuisse, ac esse in veneratione, velut à DEO traditos, est miraculum Christi, & ejus doctrinæ testificandæ accommodatissimum, manifestumque, ut nullius aciem, quamvis hebetem, effugiat,

at, si oculos mentis studiosè aliò non fletat. Tenemus sanctorum volumina, quæ nostram fidem appositè; affirmatèque eam esse ipsam, quæ à Christo & Apostoli tradita, ac toto orbe divina habita est, propugnant. Historia Ecclesiastica exstat testis dogmata Romanæ Ecclesiæ gentes recepisse, tametsi essent creditu difficultima, carni ac sangvini sumè adversa, juxta ipsa vitam permolestè insti tuentibus nullus nunc, sed à mortuis esset fructus expectandus; in talium professione dogmatum sanctos omnes extremum diem obiisse; adversùs Imperatorum edicta, Principum potentiam, summam tyrannidem disciplinam Romanorum DEUM esse tutatum; in retinenda innumeros Martyres omnis ætatis, & sexus alacriter constantérque sanguinem profudisse non alio, quam Numinе confortante. Qui Sanctorum volumina legerit, Ecclesiasticam historiam inspicerit de his dubitationem admittere nequibit. Si legere, si inspicere non valeat audire hæc nemo non potest: ita exponuntur, ut non aliter, quam temere stolidèque liceat de fide

fide exponentium, de sinceritate historiarum addubitare. Qui ista legendo, vel audiendo compererit, quidquid in contrarium persuadere nitatur privatus spiritus, neutquam audiendum esse, manifestè cognoscet. Quid enim? dubio locus esse non valet, num me privatim, num potius sanctos, ac sapientes omnes, gentes Christo adjunctas omnes, docentem spiritum audire oporteat. Certissimum clarissimumque est innumeros inter exquisita supplicia corroborantis in profitenda doctrina carni inimicissima, ductum sapienti secundum esse potius, quam retinentis in profitenda disciplina cupiditatibus explendis nata. Nam illius ductum dubitari nequit esse ductum DEI. Hunc esse carnis ductum prudens suspicari potest.

269. Itaque vel discipuli spiritus privati explorant, quid probitate ac sapientiâ conspicui omnes crediderint docenti sancto spiritui; quamq; velut divinâ gentes aplexæ sint disciplinâ; in qua lege tuëda hortatore DEO cū sanguine vitâ profuderint innumeri: vel non explorant. Si non explo-

plorant, in condiscenda re usque adeò utili ac necessaria non vacat culpâ segnities, nisi sumpto discendi labore ocios emendentur, non potest non plecti gehennâ. Vel non est animus amplectendi exploratam veritatem: abhorremus à præceptionibus Sancti Spiritûs: non libet submittere intellectum in obsequium fidei? si ità quanta improbitas? quam gravis DEO in nos animadvertendi causa? A ventura ejus ira, suppliciis tot tam disertè denunciatis cuivis incredulo, quis tutos præstet? Ut quod sentio dicam, non ignorari ab adversariis pronuncio quid sancti, quid sapientes, quid gentes magistro Sancto Spiritu professi, quam sanguine innumeri signârint disciplinam, atque adeò quam studiosos salutis profiteri par est velut divinam. Non veri ignoratio malæ fidei prima labes in plerisque est; à voluntate potius mens, ac fides vitiatur; in superanda porrò voluntate multo plus laboris est, quam in mente debellanda.

CAPUT XVIII.

*Quam in veritatem fidei Di-
vinæ actus, ultimò resolvatur.*

270. **Q**uod Græci analysim, Latinis resolutionem vocant. Ea ad præsens institutum est omnium, ob quas mysteria credimus, expositio rationum, usque ad ultimam, cuius affirmandæ ulterior causa, nec reddi, nec prudenter peti potest. Verbum Divinum exempli gratia carnem esse factum, uniendo sibi in tempore humanam naturam; septem Sacramenta novæ legis &c. credimus. Quæri potest, cur Verbum factum esse carnem, vel septem Sacramenta credamus? huic quæstioni haud ægre fieri satís potest, si respondeatur hæc aliisque credi; quia DEUS summè sapiens ac verax singula revelavit; non deet tamen justa causa urgendi ulteriori quæstione, cur inducamus in animum hæc DEUM revelavisse. Si reponamus rationem maxjmè idoneam, & propriè

pro-

priam similia in animum inducendi esse, quod à DEO disertè affirmentur; ultra istam non posse requiri à quoquam aliam, qui ut par est, captivaverit intellectum in obsequium fidei divinæ, quis non videt illico objectum iri ultra hanc rationem requiri non posse validiorem ab illo, cui certum sit, quod hæc aliisque à DEO affirmentur? At Christianis, ac potiore ratione aliis id ex terminis certum non est, ut patet ex partis *imæ c. VII.*

271. Non nescio posse Christianorum quemvis pulsatum id genus quæstionibus obviām ire nec ægre nec falsè, si dicat mysteria quantumcunque sublimia, quæ credimus in codice Bibliorum, qui sit verum, purum, putum DEI Verbum, hoc illōye libro verbis clarè descriptis revelata esse omnia. Instaurari tamen non immērto potest quæstio, undenam codicem illum DEO auctore conscriptum dictatūmque sciamus; unde sensum sententiæ, quæ sub lite est, alium non esse, ac nobis apparet, certi simus. Quamvis enim sciatur DEI effatum esse E. G. *Verbum caro factum*

*Etum est, aut hoc est corpus meum, quoad non constat in propria significatione esse ad homines prolatum non potest propter id credi Verbum caro factum, aut in Eucharistia sub speciebus panis & vini, vera ac realis corporis ac sanguinis Christi praesentia. Pari ratione quoad non constat figuratè locutum esse DEUM, cum dixit: *hoc est corpus meum*, non potest credi panem Eucharisticum esse corporis Christi figuram. Igitur à credentibus alterutrum, rectè, ut in re ambigua, petitur ratio, ob quam potius in sensu proprio, quam alieno, vel contrà prolatum putent.*

272. In hanc demum rationē, quæcūq; illa sit, ob quam verba, ad credendū impelētia, in animum inducim⁹ à Deo manasse, & in proprio sensu potius, quam alieno, aut in alieno potius quam proprio accipienda esse, in hanc, in quā rationē actus fidei divinæ resolutur, si nota ex terminis sit, ut prudenter ulterior ejus ratio peti, ac reddi nequeat. Nam si nota sic neutiquā foret, prudenter ejus ratio peti eò usque posset, donec ad notam ex terminis deveniatur, in qua cùm consistantur,

tur, quin alia requiratur, in eam postremò resolvi fides dicitur. Si ejusmodi ratio non sit prudens, sed temeraria, si re ipsa falsa, aut errori obnoxia, nullum est pretium nostræ fidei, nullus usus ad procurandam justificationem, & salutem. Nihil enim refert, quod ob testimonium divinum credamus, si imprudenter aut falsò DEUM esse testificatum nobis persuadeamus. Credunt Mahometani perinde ac Christiani existentiam DEI; credunt DEUM esse remuneratorem bonorum, & vindicem malorum operum; credunt verò idcirco, quod DEUS & suam existentiam, & suam probos munerauti, improbos pleneti voluntatem revelaverit; nihilominus fides Mahumetanorum infructuosa, Christianorum saluberrima est.

273. Quod hos inter ac illos discrimen? ego sanè aliud non comperio, ac quod Mahometani temere sibi persuaserint merum DEI Verbum esse codicem Alchorani, in quo legunt DEUM probos muneraturum, in improbos severè animadversurum. Christiani contrà gravibus

ex causis divinam hanc esse vocem credunt. Utrique credunt idem, propter eandem DEI vocem credunt, nihilominus sancta ac certa horum; profana ac fallax illorum est fides, quod profanis fallacibusque illi: sanctis ac infallibilibus isti causis inducant in animum quid DEUS locutus sit. Eadem rationes impellunt Mahumetanos, ut DEUM remuneratorem, equos, mulieres in remunerationem distribuendas credant. Sed ut certo certius labuntur fædo errore, quod equos, mulieresve alia in vita in præmijum recte gestorum mortali in corpore largiturum DEUM credant; ita hoc errore melior nihilo fides est, quam DEUM credunt remuneratorem, quia iisdem errori obnoxiiis rationibus hoc atque illud credunt. Multò satius est gravibus piisque causis impulsum persvaderi, quod DEUS revelarit, quæ revelata non sunt, ac vanis ridiculisque indiciis, quæ revelavit, in animum induxisse.

274. Nominemus itaque tandem graves illas rationes, quæ ultimò impellunt Christianos, ut in animum inducant,

quòd DEUS, quídve locutus sit, atque adeò ut credant. Aliæ Romanos, non Romanos aliæ impellunt, ex mutua utrariumque comparatione elucescat quorum divina sit fides, perinde ac satis obor tur lucis ad internoscendum, Mahumetana, an Christiana fides præstantior sit, si conser vantur causæ inducentes ad credendum Mahumetanos, quæ in Alchorano; Christianos, quæ in Bibliis leguntur, esse à DEO dicta.

275. Si mihi pro Romanis respondendum esset ad præsentem quæstionem, monerem, ut interrogatores ante omnia meminisse velint, veritates quasdam per se, atque ex terminis notas esse, quasdam ex variis principiis innotescere mortalibus. Notæ per se, atque ex terminis sunt, quæ rite apprehensæ citra aliam rationem affirmari valent. Sic statim, ac rite apprehendimus duo, tria, quinque, possumus scilicet alijs resolutè affirmare, quòd duo, & tria sint quinque: contrà veritates, quæ rite apprehensæ affirmari nequeunt, propter alias cum his nexus affirmari possunt, atque

atque adeò non per se, sed ex aliis notæ vocantur. Sic quantumcunque Eucharistiam, corpus, & sanguinem Christi apprehendamus, asseverare non possumus in Eucharistia esse verè corpus, ac sanguinem, aut symbolum corporis ac sanguinis Christi. At statim, ac advertimus DEUM revelavisse, quid in Eucharistia sit, affirmare possumus illic non esse merum symbolum corporis & sanguinis, sed verum corpus & sanguinem Christi.

276. Rursus aliæ veritatis sunt, quæ rite apprehensæ secluso omni alio determinant se ipsis intellectum, ut affirmentur, tum eæ ipsæ, tum aliæ, quibuscum connectuntur, aut certè impediunt, ne in dubitationem trahantur. Sic cùm duo, tria, quinque rite apprehendimus, eo ipso intellectus determinatur, ut affirmet quòd duo & tria sint quinque, aut prohibetur ne dubitationem admittat, utrum duo & tria quinque sint. Aliæ veritates quamvis rite apprehensæ affirmari queant, attamen & trahi in dubitationem, & negari possunt, interdum prudenter,

terdum imprudenter. Sic cùm tres viri graves jurant, Paulum à se in cæde Petri repertum, potest quidem Judex credere Petrum à Paulo cæsum; at nihil prohibet quo minùs suspectur tres eos alioquin graves viros nato ex occultis causis odio Pauli, aut spe cuiuspiam emolumenti perejare, adeoque nil est cur dubitare, an Paulus Petrum interfecerit, aut etiam id negare nequeat. Ad affirmandas ejusmodi veritates, potest ac interdum debet, nī muneri suo deesse & peccare velit, voluntas intellectum flectere, volendo E. G. ut Paulus reus cædis, & capropter dignus supplicio habeatur. Est enim voluntati, in quam, libuerit, partem, potestas flectendi intellectum, quoties ab objecto in assensum non rapitur. Quemadmodum est voluntati potestas impellendi exteriores facultates progrediendi, videndi &c. ad suas functiones, imò eæ nil præstant, nisi à voluntate impellantur.

277. Dum voluntas isto munere fungitur gemina intercedit ratio, ob quam quidpiā affirmatur, & in quam actus affir-

man-

mandi ultimò resolvitur velut motivum : una penitus extrinseca ; altera intrinseca actui enuncianti. Intrinseca est, ob quam ità affirmatur veritas ut ea ipsa quoque ratio simul indivisibili actu affirmetur, aut actus ex modo tendendi affirmatam per alium supponat , quin ista similem in modum propter aliam affirmetur. Extrinseca est honestas vel utilitas, à qua movetur voluntas, ut flectat intellectum ad affirmandum resolutè , quod negari posset. Sic in adducto trium, quòd Paulum in cæde Petri repererint, jurantium exemplo, actus judicis Petrum à Paulo cæsum affirmantis ratio, in quam resolvitur ultimò velut motivum intrinsecum, est juratum trium testimonium ; ratio contrà extrinseca in quam pariter resolvitur est honestas Justitiae, relucens in damnandis, qui legitimè convincuntur sicariis. Ab ea enim honestate movetur Judex , ut Paulum sicarium pronunciare, & morte plectere velit.

278. His constitu is quærenti, cur
re ipsa , non figuratè, præsentem Chri-

stum E.G. in Eucharistia Romani credant,
 dicam me & illos id credere, quia DEUS
 Christi realem in Eucharistia præsentiam
 revelavit. Instanti quibus indiciis id in
 animum inducant, recitabo ex Mar. 14.
 Luc. 22. Pauli 1. Cor. 13. Christi verba:
Hoc est Corpus meum. Nec tunc acquie-
 scenti, sed percontanti unde ea verba e-
 xistimare DEI verba ausim; & si DEI ver-
 ba fint, non in sensu tralatitio, sed pro-
 prio ac obvio esse prolata jaētem; fatebor
 non manifestum, sed obscurum id esse,
 me tamen, omnésque Romanos id firmi-
 ter in animum inducere, quia placet cre-
 dere potius à DEO, quam à quoquam alio
 esse enunciata in sensu proprio, & assen-
 tiri propter eadem Christum verè præsen-
 tem esse in Eucharistia, ut reverear infinitam
 DEI loquentis sapientiā, ac veracitatē. Anim-
 adverto peti meritò posse, cur placeat verba
 Marci, Lucæ, Pauli credere verba Divina, &
 quidē in sensu proprio prolata. Huic quæsti-
 oni fiet satīs, si dicam postquā prudens dubi-
 tare nequit, num & quid loquatur DEUS, æ-
 quissimum esse, ut flectamus in obsequi-
 um

um loquentis intellectū. Nū per Marcū Lucā illa verba *hoc est &c.* Deus elocutus sit, & quidē in sensu proprio prudens dubitare nequit. Quare ut in obsequiū loquētis flectā intellectū placet assētiri quòd ea verba Deus elocutus sit in sensu proprio; propterea credo Christi Corpus in Eucharistia. Cur æquum censem, ut flectamus intellectū in obsequiū Dei loquentis, quæri nō potest, id enim per se notissimum est. Cur prudens dubitare nequeat verba recitata, à DEO per Apostolos esse cunctiuncta & quidē in sensu proprio quæri cunctidem potest, sed & quærenti rationibus per se notis haud difficulter satisfiet.

279. Primo, Romana Ecclesia semper ea verba à Christo in sensu proprio esse prolata prohibuit, ut patet legendi monumenta Christianorum, præcipue autem inde, quòd adversarii non mensēm, non annum, non sæculum designare noverint, quo ea persuasio inter Romanos percrebuisse; cùmque operosè alterum horum designare plures satagunt, à se ipsis vehementer dissident, variant. Quod nequit non esse certum signum istiusmodi

sententiam nunquam cæpisse, sed à Christo constanter inter Romanos viguisse. Adde quòd omnium retro sæculorum veneranda canicies Christo propior, à lite in quo sensu, quo auctore ea verba sint edita, remotior, in sensu proprio à Christo edita censuerit: quod & fatentur adversarii, dum in hac lite sententiam antiquitatis subterfugiunt, aversantur; & sanctorum Patrum, Conciliorūmque lectione omnino constat. Jam Christum esse DEUM, aut verum DEUM locutum esse per Christum tot miracula, vel omnibus miraculis admirabilior traditæ à Christo doctrinæ per orbem propagatio, retinendæ causâ tot Martyrum tanta fortitudo, quanta alteri quàm DEO in recepta doctrina excruciatos retinenti tribui non potest, cū dubitatione disquirere non permittunt.

280. Secundò, omnes nationes toto, quà patet latè, orbe, sparsæ, ad profitendam cùm hanc, tum reliquam Ecclesiæ Romanæ doctrinam auctoribus Christi discipulis conspirârunt; oppositam Zwinglii opinionem, aliáque scita gens nul-

nulla in animum inducere potuit. Neque enim haud multi Germani Ungariq; , que-
is placuerunt, gens Ungara, aut Germa-
na sunt. Ab illa professione nullis infide-
les, & tyranni machinationibus, tametsi
adhiberent atrocissimas, deducere orbem
valuerunt. Quin pro doctrina id genus
omnis ordinis, sexus, ætatisque homines
immania læto vultu, alaci animo sunt
perpessi supplicia. Moriendo ac vivendo
innumeri tali doctrinæ, quod à DEO
manârit, testimonium perhibuerunt. Tan-
ti consensus, tantæ in susceptæ fidei pro-
posito constantiæ ad eoque doctrinæ, quæ
creditur; aliis ac DEUS auctor esse ne-
quit. Qui id negârit, si negari à sano in-
tellectu potest, solem esse lucidum nega-
verit, qui hac de re litem fecerit vetera-
tor, & pertinax, qui dubitaverit, imprudens
est. DEUM erroris auctorem appellare
blasphæmia est. Neutiquam ergo sinè im-
prudentia dubitare possumus, num Deus
vel aliis, num in proprio, vel alieno sen-
su verba illa *Hoc est Corpus meum* enuncia-
verit.

281. Paucis hæc accipe: si ex Romano quæratur, cur credat realiter in Eucharistia nihilo minus quā in Cœlo à dextris Patris præsentem Christum, respondet: quia DEUS illic præsentem testatus est recitatis per Evangelistas verbis. *Hoc est Corpus meum.* Cognoscere cupienti unde moveatur, ut illa verba à DEO manâsse, & in præsentem verè Christum accipienda esse in sanctissimo Sacramento credat; quia cupidus, inquiet, præstandi obsequium DEO loquenti flecto intellectum, volōque resolutè, ut hæc verba dicta à DEO ad significandum verè præsentem Christum in Eucharistia accipiat, & propter eadem Christum verè illic præsentem tueatur. Dum quæritur: eccur hac in re cupiat obsequium præstare DEO loquenti? cur velit ut intellectus sic, non item ad mentem Calvinianorum, aut Lutheranorum ea verba accipiat? cumulate faciet satís, si dixerit: quod summè conveniens, æquum debitumque sit, ut præstemus DEO loquenti obsequium inducendo in animum quidquid eloquitur, propterea quod eloquatur

tur, quando dubio locus non est, quod loquatur, & quid loquatur, quamvis negare imprudenter possemus quod loquatur, aut vitiligare, quo sensu loquatur. De quo à nullis præterquam impiis, quin atheis solis controversia moveri potest.

282. Atqui hæc verba *hoc est corpus meum DEUM esse elocutum*, & significatum voluisse, quod verè in Eucharistia sit corpus Christi, dubio locus esse nequit. De quo, cùm quæstio moveri valeat, respondendi necessitatem rescindet Romanus, si exposita superius recenseat credibilitatis motiva. Sunt enim evidentiâ facti notissima. Rescindet inquam necessitatem ulteriorum responsionum simul & interrogacionum dicendo: dubio in melius esse nullus potest, num hæc verba *hoc est* Christus protulerit, num cum Romanis potius, quam cum Calvinianis sint accipienda in præsentem verè Christum sub speciebus panis, quia Romani semper, omnes sancti, Christianorum sapientes omnes verba illa à Christo esse enunciata ad significandum verè præsentem sub speciebus

bus panis Christum crediderunt; quia omnes gentes ad credendum in Christum adductæ id à Romanis didicerunt, & crudeliora innumeri, quam vires humanæ sibi relictæ ferre possint, passi sunt, quod aliter sentire noluerint. Unde manifestum fit, quod in tormentis à DEO in confessione istius doctrinæ corroborati sint; à DEO autem non posse ullum corroborari in tuenda doctrina falsa, aut procul esse omni scelere, quotquot eam profitentur doctrinam, ad quam tuendam DEUS vires ministrat, sive falsa, sive vera sit, notissimum est.

283. In hunc modum expedite rationem totius suæ doctrinæ fideique redundit Romani. De auctoritate Pontificis, de operibus supererogationis, de jejuniiis, de votis, de cultu sanctorum &c. rogati quas ob res hæc, aliaque credunt, non aliter, nec difficilius satisfaciunt. Commemorata enim locutionis divinæ indicia, quibus dico, cum locutionem, tum mysteria propter locutionem reddi evidenter credibia, seu creditu dignissima, ac sine

exceptione credenda, si necessaria non sint ad exercitationem intellectus per actus divinæ fidei, certè abunde sufficiunt, ut non temere, sed quām qui prudentissimè, hæc præ alis inducamus in animum, credamusque. Quidquid sic credimus, reprehensione vacat, quin laudem eximiæ prudentiæ, & officiosæ erga DEUM voluntatis promeretur.

284. Unde actum fidej divinæ ultimò velut in motivum intrinsecum resolvi ajo in hos terminos *De' sumē sapiēs & verax dixit*. Hi termini quoniam non rapiunt intellectum, ut ab ipso affirmentur, ex vi imperii, quod voluntati est in intellectum, & potentias externas, affirmantur à nobis idcirco, quòd summè decens, debitumque sit, ut velimus DEO loquenti assentiri, & reipsa assentiamur, quando prudenter dubitari nequit, num loquatur. Atque adeò ratio, sed extrinseca, ob quam DEUM loqui, & vera esse propter locutionem, quæ eloquitur, assentimur, est pia affectio credendi, nata ex directione practici iudicij, quid possimus, debeamusq; credere.

Pia

Piæ affectionis motivum est honestas emicans in obsequio flectendi intellectum secundūm locutionem DEI , quando de eadem non dubitatur. Demum practici judicij motivum est hæc honestas , & credibilitatis motiva per se nota. Ista igitur honestas , ista motiva sunt absolutè ultima , sed extrinseca ratio , in quam divinæ fidei actus resolvitur tanquam motivum extrinsecum. Nam apprehensionum præcuntium judicio practico , & piæ affectioni credendi , ratio nulla est , cùm nihil affirment , & œconomia actuum fidei divinæ ab apprehensionibus indiciorum locutiones DEI & mysteria credenda retegentium incipiat.

285. Quæri adhucdum potest num motiva credibilitatis sint Romanis ratio assentiendi revelationi divinæ. Respondeo nil referre sive motiva credibilitatis sint conditio *sine qua non* , sive ratio assentiendi , quod DEUS loquatur , & quid loquiatur. Nil certi haec tenus de hoc ab Ecclesia definitum est , nil cœlitus manifestatum accepimus. Theologorum pars veram locutioni

tioni divinæ assentiendi rationem, pars conditionem sinè qua revelationi non assentiremur, docent motiva credibilitatis. Esse eadē veram judicandi rationem, quòd hic & nunc conveniens, debitumq; sit, ut Deum loqui, & credere, quæ eloquitur, inducam⁹ in animū, docent omnes : hinc judicium practicum aetui fidei prævium sinè iis formari, atq; adeò divinæ fidei locum posse esse communiter negant. Quibus motiva credibilitatis videntur ratio assentiendi quòd Deus loquatur arbitrātur simul quòd sint reflexa DEI locutio testantis, quis sit, qui eloquitur mysteria, eum ad modum quo invicem tanto distantes intervallo, ut alter al. erum videre, non discernere, aut exaudire satīs queant, capitis agitatione, manuum jaetatione, pilei elevatione, aliisque signis, indicare, qui sint, alter alteri solent. Contrà qui motiva credibilitatis negant esse rationem assentiendi divinæ locutioni, par formiter negant esse locutionem DEI. Hi existimant, statim, ac penetrantur motiva credibilitatis, revelationem divinam proponi intellectui per supernaturalem illustrationem,

quæ sīnē alio motivo suapte inclinet intellectum, ut loqui DEUM assentiatur. Unde per se svalsa appellatur, & terminos *DEUS loquens* ex natura sua nec connexos, nec repugnantes invicem, adeoque neutros conjungit. Existimant secundò post cognita motiva credibilitatis haud licere in dubium vocare, utrūm DEUS loquatur, imò apparere, quòd adsit, rigidum DEI mandatum, ut loquenti assentiamur. Demum à voluntate non refractaria volendo credere, flecti intellectum, ut assentiatur. Voluntatem hanc, omnes vocant piam affectionem credendi.

286. *Exemplo humano, quod subiectio* (verba sunt Gabrielis Kapi) *res hæc optimè illustratur. Sit Rex ante me positus in tenebris; ita ut vel non videam, vel distinguere illum à cæteris nequeam: non eum adoro; quia nescio an, & quisnam sit: facem mihi aliquis incendat, digito monstret, hic est Rex tuus; adoro illum: quæ causa formalis, quæ ratio est me movens ad adorandum? certò non lucifer ille, non ille Regis index, verum sola majestas regia, & mea erga*

erga illam obligatio. At si fax incensa, si Rex ostensus non fuisset; eū non adorāssem? utiq;: illum igitur propter lucem & indicium mibi præbitum adoravi; distinguo: propter lucem & indicium, tanquam aliquid necessario in isto casu præcedens, concedo; tanquam aliquid me formaliter movens ad adorandum, nego. Res planè taliter se habet in actu fidei: habemus firmorem propheticū sermonem inquit Petrus, quam fuerit vox de cœlo allata de Christo, in monte S. Thabor cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco 2. Pet. 19. Verbum Dei scriptum & non scriptum, est in caliginoso loco; lucerna quidem lucens est, sed iis solis, quibus eam admovet Ecclesia; nec aliter, atq; in candelabro Ecclesiæ posita nos illuminat: quæ nisi mihi divinum interpreteretur testimonium; ignoro illud, verūmq; sensu ejus ab adulterino secernere satis nequeo.

C A P U T X I X.

Quam in veritatem adiaphoria, & reliquæ hereses ultimò resolvantur.

287. **J**Am dispiciam⁹ quid Adiaphori, Calviniani, ali⁹q; nō Romani &c. respondent

deant, si rogentur, cur illa *hoc est corpus meum*, ac plura alia verba, DEI verba, non proprio, sed alieno prolata sensu existiment, dum propter eadem Christum excludunt cœnâ mysticâ: quam rationem fecuti non rem ipsam, sed latens rei symbolum illic significatum à DEO volunt. Ni fallor, nequaquam autem fallor, dicent quia privatus spiritus, & à DEO, & alieno, non proprio prolata sensu dicitat; quia sic suo videntur judicio accipienda. Neque enim judicium Sanctorum Patrum, sive in Conciliis, sive extra Concilia sententiam dicentium, nec ullam Ecclesiam in rem allegant; quia universam Ecclesiam, mortales omnes docendo, credendo, doctrinæ, & fidei ergo patiendo, moriendoque errare posse, imò errasse ajunt; hominum commentarios aversantur, si quemquam in lite, an & quo locutus sit sensu DEUS, appellemus, prodi verbum DEI vociferantur.

288. Recte animadvertisit Joannes Barclajus sectarios alloquendo: *quanquam bi Lutherum sequantur, illi Calvinum, vos*

tamen ejusmodi hominibus obnoxios esse negatis, nisi quatenus Scripturis consensere, hoc est quatenus vobis illi videntur cum Scripturis consentire. Imò ne Ecclesiæ quidem vestræ, nisi eadem cautione subscribitis. Neque enim Anglicam, ut vocatis, Ecclesiam, aut Gallicam, aut Batavam, aut Germanam, infallibilem esse putatis. Si vero infallibilis Ecclesia tua non est, restat omnino, ut cùm aliquid tibi ab ipsa credendum proponitur, statim explores, idne cum Scripturæ norma conveniat; si judicas convenire; non ideo credes, quia ita Ecclesia tua, sed quia tibi sic visum: sin absennum judicas esse, quâ justâ ratione poteris ab Ecclesia tua cogi.

289. Quàm incerta infirmaque sint illa judicia, quàm nullius fidei spiritus à quo manant, tametsi divinus sínè idonca causa vocetur, inde liquet, quòd non modò in variis varia, sed in compluribus eadem de re sint invicem pugnantia, adeoque nonnulla certissimè falsa. Unusquisque à DEO suum inspiratum credit, nemo omnium suum præ alieno à DEO inspiratum ul-

lā ratione persuadere valet. Qua unius, eadem omnes arte proprium DEO vendicare adnituntur. Quisque se firmiter veréque credere, suam fidem distinctè sacris litteris expressam esse, quisque in libro vitæ descriptum, de numero electorum unum, destinatūm se ad beatam immortalitatem ait. His nominibus omnia procul errore, procul erroris suspicione, omnes magnificè crepant se edoctos à S. Spiritu: idóq; non habere opus, ut à quoquam Patrum, Conciliorum Martyrum, vel ab Ecclesia docentur, quid DEUS sit locutus.

290. Quid hoc est monstri? tot vestrum adversa judicia manifestè perspicitis vera esse omnia non posse, plura animadvertisit esse falsissima. Cùm aliena prævestris talia nequeatis persuadere, cur aliena falsa creditis? cur consensui canæ antiquitatis, sententiæ infinitorum Martyrum sanguine obsignatæ, orbis menti opiniones vestras paucissimi anteponitis? illud Apostoli *scio cui credidi & certus sum*, ingeminant omnes, corpus castigat nullus, ne cum aliis prædicaverit, ipse reprobus

efficiatur. Nullus cavet, ne detur in sensum reprobum, omnes S. Spiritus oracula clamant eructari abs se.

291. Quid inde conficiatur attendite. Lutherani & Calviniani Christi verba *hoc est corpus meum*, ita magistro spiritu privato in adverso sensu interpretamini, ut esse utrorumque verus nequeat. Hoc auctore Lutherani verè præsentem Christum sub speciebus panis ac vini tuemini, Calviniani verè præsentem inficiamini. hunc in modum pugnantibus invicem dogmatis reliquis credendis non minùs vobis, quām nobis adversamini, utrique niti vos verbo DEI, quòd explicet Spiritus Sanctus, in credendo arbitramini. Igitur vel Lutherani rem falsam credunt propter cognitum DEI testimonium interprete Spiritu Sancto, propter quod rem veram credunt Calviniani; vel contrà Calviniani credunt rem falsam propter cognitum DEI testimonium interprete Spiritu Sancto, propter quod rem veram credunt Lutherani. Neque enim vera esse potest fides tum credentium, tum negantium realem Christi

præsentiam in Eucharistia. At id est absurdissimum, imò blasphemum. Igitur non interprete Sancto Spiritu, sed vitiato turpiter cerebro ex motivo de se fallaci pars utraque credit, quod re ipsa est ex alterutra parte falsum. Igitur neutra habet divinam, iis quoque in dogmatis, circa quæ non errat, sed humanam fidem.

292. Si haud absimilem Mahometanæ fidei de uno Dœ Conditore rerum omnium, de immortalitate animorum, præmio bonorum &c. aliquis Thyrsum Gonzalez secutus hanc fidem contendat, fortassis comparatio continget alicui molestior. At videte utrùm non sit verissima: DEUM remuneratorem, & vindicem creditis, quia revelavit, quòd probos munerabitur, improbos plectet. Codice enim Bibliorum comprehendi verba DEI judico vestro decernitis, & illic legitim DEUM probos muneraturum, improbos castigatum, nec verba hæc putatis in alium accipienda esse sensum. Credunt Mahometani quoque suo persuasi judicio mera Alchorano DEI verba comprehendit, & vera

Vera quòd DEUM remuneratorem, vindicemque, ac horum revelationem attinet, verè DEI verba comprehendit. Non divina, non salutaris est Mahumetanorum fides, quia persvasi, quòd Alcoranus mera DEI verba complectatur, credunt propter apprehensum ex Alcorano DEI verbum, tum ea, quæ DEUS locutus est, tum ea, quæ locutus non est; quemadmodum contingit, dum credunt equos in remunerationem distribuendos; & quia nullis vel leviculis rationibus persvasi credunt, quòd Alcoranus verba DEI complectatur. Propter verba DEI: *boc est corpus meum*, codice Bibliorum, quem nullis aut levibus indicis æstiment divinum, comprehensa, constituto iis sensu proprio à suo judicio, realem Christi præsentiam in Eucharistia Lutherani; symbolicam duntaxat præsentiam credunt, realem execrantur Calviniani propter eadem verba, constituto iis sensu alieno à suo judicio. Ergo propter eadem verba constituto iis diverso sensu à proprio judicio, tum quæ DEUS locutus non est, tum quæ locutus est creduntur à

Lutheranis & Calvinianis tum illa verba, tum diversum illorum sensum utrisque tribuentibus DEO. Humana itaque non divina Lutheranorum, atque Calvinianorum perinde ac Mahumetanorum est fides sive vera, sive falsa credant.

293. Si in me sic quis pugnaret, nullum inter eorum fidem discrimen statuere nossem, ut doceant ipsis quale statuendum sit, expesto. Hoc ni fecerint altè defixa mentibus hærebit opinio, fidem non Romanorum ultimò resolvi in haustam nullis, aut levissimis ex indiciis à spiritu privato, seu verius proprio cerebro, persuasione de locutionibus DEI. Cui persuasioni per se fallaci, imò re ipsa falsæ interdū, innixa fides, quidquid credant, commendationem admodum tenuem meretur, certè divina ac salutaris esse nequit.

294. Sæpenumero cùm hoc capite, tum alibi allegata credibilitatis motiva, pariunt evidentiam de veritate, ut vult Thyrus Gonzalez; de sola credibilitate mysteriorum, ut volunt passim alii, quam p. i. cap. X. requiri, ac sufficere ad actum fidei di-

divinæ cōprobavim⁹. Credibilitas & evidētia de eadē dividitur in absolutam, & respectivā. Absoluta de credibilitate mysteriorū evidētia est ex firmis usque adeò principiis hauſta notitia, quòd exclusa omni formidine prudenter possimus assentiri DEUM loqui, ut non indoctus, non doctus, verbo nullus hominum, nullus Angelorum dubitare queat, prudenter nec ne assentiamur divinæ locutioni, ac mysteriis; nimirum nascitur hæc notitia ex principiis absolutè veris, intellectum non ex suppositione nativæ imbecillitatis, aut cujuspam ignorationis, sed per se cōvincētib⁹, ut alia credenda, nō credēda alia pronunciet. Et hæc evidētia in doctioribus, & in Ecclesia reperiatur. Respectiva nascitur è principiis longè imbecillioribus, imò non sufficientibus addoctiores, sed rudiiores solos convincendos, ut censeant credendum esse

295. Hanc respectivam evidentiam parit institutio docti, ac probi opione paganorum Parochi; quidquid enim docet à DEO revelatum, adeoque credendum esse, meritò pagani sínè for midine citra

im-

imprudentiam , ac metum reprehensionis
 possunt inducere in animum, quod DEUS
 revera id elocutus sit, & à se credi oporteat. Quid enim? peregrinus regionis im-
 peritus si ex nato in ea audiāt, quæ car-
 penda via ad destinatum terminum, & nil
 in mentem veniat cur illudi sibi existimet,
 illico adverbit prudenter se facturum, si cam
 ineat ; contrà si adversam iniret, repre-
 hensionem commeritum. Vela faciens
 nauticæ ignarus orto validiore, ac periculo-
 siore turbine, delirat, si dubitet, utrum
 ad cavendum naufragium, faciendum id si-
 bi sit, quod à navarchis, nautisque ven-
 torum, scopulorum, navigationum peri-
 tis fit , & imperatur, ut à reliquis fiat.
 Sin faciendum omnino censeat toto nisu ,
 prudenter cum summa laude decernit, ac
 operatur. Sic disciplinæ Christianæ impe-
 ritus , agrariæque, aut pecuariæ soli asve-
 tus, si non dubitet revelatum esse, quod in-
 stituendis rudibus datus Parochus à DEO
 revelatum esse tradit, prudenter decernit,
 sanctè operatur, dummodo & peritum di-
 vinarum rerum, & ab inducendis in fraudem


rudibus alienum passim docti & indocti
censeant.

296. Videri possunt, quæ diximus, non cohærere satis, cohærent tamen bel-
lè, cum solita Romanis phrasē: credo
quod credit sancta Mater Ecclesia: credo;
quia credit sancta Mater Ecclesia. Huma-
na & divina est Ecclesiæ auctoritas. Hu-
mana petitur à sapientia, sanctitate, mul-
titudine filiorum Ecclesiæ etiam supra vi-
res naturæ mira edendi, ac atrocia totâ
retro memoriâ tolerandi Christianæ disci-
plinæ causâ conspicuorum facultate. Hæc
peritioribus, nî omnem historiæ abroge-
mus fidem, nota est evidenter evidentiâ
facti. Divina Ecclesiæ auctoritas habe-
tur ab infallibili promissione Christi diri-
gendi, neque deserendi unquā Ecclesiam,
aut permittendi, ut circa doctrinam fidei,
ac morum prolabatur in errorem, sed effi-
ciendi ut sit columna, & firmamentum
veritatis. Divina Ecclesiæ auctoritas non
est per se nota, sed ob revelationem DEI,
haud aliter ac cetera mysteria creditur, post
compta credibilitatis motiva, quod DE-
US

US revelârit ope suæ directionis futuram semper Ecclesiam infallibilem. Dignoscere autem credendum esse id firmiter intellectu, & imperante, ut credatur, voluntate recte credimus, quæ credenda proponit; nam manifestum fit digna creditu& credenda esse, quæ talis Ecclesia proponit. Nec aliud significatum fideles volunt, dum ajunt credi à se, quæ credit, aut quia credendum esse decernit Ecclesia. Neque tamen tunc propositio Ecclesiæ est causa, ob quam mysteria, aut locutionem credimus, sed conditio, quâ de medio sublata ignoraremus, utrum mysteria sint à DEO revelata?

297. Secundùm hæc pondera, quâm dispar, & longè liberalior sit Romanæ, quâm non Romanæ disciplinæ consuetudo, quod sapienter observavit Juvencius. Sic adigit nos ad præstandam mysteriis abditiissimis fidem, ut patiatur nihilominus rationes hujus fidei suscipiendæ penitus investigari, adeò ut fidei tenebræ plurimum lucis habent, & ipsa nox, quod Regius Prophæ-

pheta canit, illuminatio dici possit , licet e-
 nim non perspiciatur clarè, quod credi-
 tur, clarè tamen, cur credendum sit cui-
 libet prudenti, patet. Contrà aliarum schola-
 rū Magistri vociferantur DEO esse credendū,
 quod nemo præter Atheos negat. Ex in-
 numeris, quæ nomine divinorum eloqui-
 orum circumferuntur, nullas præscribunt
 regulas , dignoscendi vera à falsis, nulla
 genuinorum, & adulterinorum indicia sta-
 tuunt, nullam discernendorum ineunt ra-
 tionem. Idcirco cum pertinacia, & sinè
 ulla ratione commoda , tacentur esse verba
 DEI, quæ nullis idoneis testibus , nulla
 prudente causa verborum DEI nomine ap-
 prehendere, & contendunt, ut ab aliis ver-
 ba DEI pari temeritate credantur. Sic fit,
 ut neque quod creditur perspiciant, ne-
 que causam nōrint, cur prudenti
 credendum sit , adeoque
 non credant, sed
 opinentur.



CAPUT XX.

Aliorum rejiciendæ adiaphoræ rationes.

298. **T**ESTE D. Jacobo, qui in uno

mandato deliquit, factus est omnium reus, & totam justitiam amittit, etiamsi reliqua servet, quia Legislatorem ipsum, qui totam legem tulit, contemnit; ita qui unum fidei caput pertinaciter negat, etiamsi reliqua retineat, factus est reus totius Religionis, & totam fidem, ac Religionem perdit; quia ejus auctorem contemnit. Eadem enim est prima, supremaque veritas, quæ omnia fidei capita revelavit, & nobis per Ecclesiam sponsam suam (*quæ est columnæ & firmamentum veritatis*) credenda proposuit. Qui ergo vel unum articulum obstinate rejevit, nolens acquiescere Ecclesiæ testimonio, eo ipso primæ veritatis, cuius Ecclesia est præco, interpres, & organum, auctoritatem flocci pendere censetur; ac proinde

inde totam fidem divinam, quæ ad salutem est necessaria, amittit.

299. Nec refert, quod adhuc aliqua, nimis primaria fidei capita se credere putet: quia non credit illa fide divina, quæ soli auctoritati divinæ nobis infallibili modo propositæ inquitur: aliquin cætera quoque eodem modo ipsi proposita crederet: sed credit illa fide quadam humana, nimis: quia privatō suō judiciō ita judicat credendum, sumens sibi auctoritatem judicandi, & discernendi, quæ sint credenda, quæ rejicienda. Itaque ultima ratio credendi est judicium privatum; ac proinde tota illa fides est humana, & inutilis. Certissimum itaque sit, sicut vera justitia se extendit ad omnia mandata; ita veram fidem, quæ ad salutem requiritur, se extendere ad omnia divinitus revelata; ita, ut illa omnia vel expressè credamus, vel parati simus credere, si nobis congruō modō fuerint proposita.

300. Confirmatur ab Adamo Burg-haber ex eadem Soc. Ad Salutem & æter-

nam beatitudinem consequendam non minus est necessaria fides, quam charitas, aut vita integritas: neque magis voluntas rectificari desiderat, quam intellectus, cum utraque ista animae vis ideo fuerit concessa, ut sic in DEUM & beatitudinem recte teneremus. Ergo quemadmodum ad voluntatis rectitudinem non sufficit unius aut alterius mandati observatio, sic ad intellectus rectitudinem non satis est unum aut alterum, vel etiam totum Symbolum Apostolicum credere, sed fides extendere se debet ad omnia, quae DEUS revelavit, & per Ecclesiam sponsam suam dilectissimam credenda sufficienter proposuit. Quemadmodum enim offendens in uno mandato Dei, factus est omnium reus Jacob. 2. v. 10. ita denegans fidem uni articulo, omnibus eandem sustulit. Cujus ratio est, quia non magis lex perfecta est, ut aeternam Dei Justitiam representet, quam Ecclesia vera sit in doctrina, ut aeternam Dei sapientiam nobis exhibeat, & ab hac dirigatur, juxta illud Joan. 16. v. 12. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit

cebit vos omnem veritatem. Perinde igitur ut unum peccatum facit hominem regum totius legis quoad pœnam æternæ damnationis, sic maculat unus error in fide universam Ecclesiam, & tollit ab ea securitatem veræ ac salvificæ doctrinæ; Est quippe pretiosa margarita, quæ maximè æstimatur, quam diu integrâ manet: contemnitur verò divisa in partes. Unde D. Nazianzenus oratione 31. *Quæcunque, inquit, margarita oblaſa fuerit, tota ejus gratia extinguitur; aut Deum totum cole, aut totum contemne, nolo dimidiatam partem.*

301. Confirmatur 2dò à Gregorio de Valentia itidem è S. J. Non omnes sectæ per seipſas probantur Deo, quare deſtituuntur fide, ſinè qua impossibile eſt placere Deo ſecundūm Apostolum. Nam ex differentibus opinionibus tot ſectarum natu- rae actionum ſtudia oportet inter ſe pugnare. Unde fieri nequit, ut quælibet ſectæ per ſe ſint divinæ voluntati consentaneæ. Inde enim (quod eſt perabsurdum) ſequetur, eundem iþum Deum avorsari, quod

approbat, & id vetare, quod sibi tamen placet. Etenim ex omnibus contrariis, ac repugnantibus actionibus necesse est quasdam esse, cum recta ratione congruentes, ac proinde probari, vel etiam imperari à Deo: eas autem quæ ex contrario his repugnant, necesse est item esse hoc ipso à recta ratione aversas, ideoque peccata, Deo invisa, ab eoque prohibita. Ità si opiniones omnes, & actiones quarumlibet sectarum divinæ voluntati consentaneæ sunt: cùm quædam ex illis, ut ostensum est, Deo sint exosæ, & ab eo prohibitæ: consequuntur, ut dicebamus, aliquid aversari Deum, quod ipse tamen approbet, & idipsū vetare, quod sibi tamen placet. Accedit quòd si propius etiam disciplinas inspicimus earum sectarum, quarum notitiam tenemus, ut Gentilium, Judæorum, Turcarum, hæreticorum; in singulis pravos errores, atque adeò actionum instituta perversissima facile animadvertisimus, quæ esse quidem media salutis consequendæ, ipsi grata Deo, neque cogitari sinè summo scelere, neq; dici sinè atroci blasphemia potest.

302. Altera rejiciendæ adiaphoriæ ratio est ejusdem Adami Burghaber. Adiaphoria seu Religio tam Ecclesiam Catholicam, quam omnes alias, aut saltem recentiores seetas Christianas Lutheranam, Calvinianam simul complectens, non habet, nec confitetur symbolum Apostolicum quoad rem ipsam, & legitimum sensum. Ergo juxta ipsam in sua quisque fide salvari non potest. Antecedens per aliquos articulos iungillatim ostendimus: Nam articulum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, Catholici & plerique ex sectariis ita intelligunt, ut affirment, Deum latiore significacione verè omnium hominum esse & dici Patrem; cundem reverâ omnipotentem. Negat prius horum Beza Calvinista Volumine I. fol. 334. & 335. Alterum quoque negat eodem Volumine fol. 299. ubi ait: *Dictum illud Deo esse omnia possibilia, habere exceptionem*, quem sequuntur Anton. Sadeel tom. 3. pag. 33. & Joan. Piscator Volumine I. pag. 77.

303. Articulum: *Et in Jesum Christum*

stum Filium ejus unicum &c. aliter expli-
 cant Catholici & Lutherani, qui juxta
 symbolum Athanasianum Filium æqualem
 & consubstantialem faciunt Patri; aliter
 multi Calvinistæ post Arjanos, qui Filium
 Patre statuunt minorem ex Magistro suo
 Calvino, qui admonit. ad Polon. f. 793.
Si Pater, inquit, suum esse habet à se: Fi-
lius suum esse habet à Patre: Spiritus ab
utroque, an non tres essentiæ emergunt.
 Articulum: *Crucifixus, mortuus, &c.* ita
 sumunt Catholici omnes, ut credant Chri-
 stum pro omnibus hominibus mortuum:
 discredunt Calvinistæ sibi vanè persuaden-
 tes, Christum pro solis electis fuisse mor-
 tuum. Unde Aretius parte 2. Problem.
 pag. 388. ait: *Falsum est, quod Christum*
dicunt omnibus datum Redemptorem, cùm
Iudæ non sit: & in summa, omnium de-
ſperantium atque damnatorum; Similia
 habentalii post Calvinum in primam Joan.
 2. ¶ 2. Item in cap. 17. Joan.

304. Articulum: *Descendit ad in-*
feros &c. aliter accipiunt Catholici, nem-
 pe Christi animam à corpore separatam
 secun-

secundum substantiam suam descendisse ad limbum Patrum: aliter hæretici, quorum alicui volunt, Christum descendisse ad inferos, nihil esse aliud, quam sepultum fuisse: alii Christum passum dolores inferni, ut Lutherani apud Joannem Gerhardum Lib. 2. par. 1. fol. 312. quibus addunt Calvinistæ, cum etiam post mortem pœnas damnatorum sustinuisse ex Magistro suo Calvino lib. 2. instit. cap. 16. §. 10. Eò quod sola corporalis Christi mors nihil nobis profutura fuisset. Articulum: *Ascendit ad Cœlos, &c.* aliter intelligunt Lutherani Ubiquistæ: aliter Calvinistæ, & Catholici, qui ubiquitatem corporis Christi negant, probè gnari, per eam everti totum penè symbolum, Christique Incarnationem, Nativitatem, Passionem, Mortem &c.

305. Articulum: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos* aliter exponunt Catholici, qui dicunt, Deum ita judicaturum, ut suum reddat præmium operibus bonis, malis pœnam: aliter Calvinistæ, & Lutherani, qui operibus bonis o-

in mem mercedem negantes solius fidei specialis rationem in judicio habitum iri censem. Articulum: *Sanctam Ecclesiam Catholicam* Lutherani & Calvinistæ interpretantur de congregatione invisibili prædestinorum; Catholici de Visibili Orthodoxorum, inter quos & Prædestinati multi, & multi reprobati.

306. Denique ut alia prætercam, Articulum: *Remissionem peccatorum* aliter sumunt hæretici, qui fingunt peccata solum tegi, non imputari, nullam autem internam fieri renovationem per justitiam inhærentem, & dona infusa: aliter Catholici, qui agnoscunt interiorem hominis renovationem per gratiam sanctificatam, quâ formaliter, ac verè peccata tolli & deleri docent. Videatur Laurentius Förer in lib. cuius titulus: *Symbolum Catholicum seu Pontificium collatum cum Symbolo Apostolico, Lutheranorum & Calvinistarum.*

307. Cùm igitur in genuino symboli sensu tanta sit opinionum diversitas; veritas autem una tantum existat, cāque stet

stet ex parte Ecclesiæ Catholicæ, quæ est columnna veritatis 1. Timot. 3. v. 15. clare evincitur, adiaphoriam non habere, nec confiteri symbolum Apostolicum ac fidei. Quomodo enim fieri potest; ut qui contrariis eisdem articulos sensibus credunt, vera tamen fide, utrinque censeantur credere? Certo hoc aliquid non foret, quam admittere, contraria simul vera esse posse. Taceo, sectarios non credere totum symbolum Apostolicum ex revelatione Dei summè veracis, prout ab Ecclesia Catholica proponitur, quam audire spernunt sola auctoritate Calvini, Lutheri, Zwinglii in assensu suæ fidei nitentes. Quantumcunque igitur Adiaphoristæ symbolū apostolicū jaçtent, vanissimè id faciunt, cum in illo non exterior verborum cortex, sed interior intelligentiæ nucleus, & divinæ revelationis motivum ad salutem conducat; *Litteræ enim occidunt, spiritus autem vivificat* 2. Cor. 3. v. 6. Idem de symbolo Niceno, Athanasiano sentiendum.

318. Tertia itidem Adami Burghaber ex triplici absurdo, quæ præter alia ex

hac adiaphoria, seu indifferētia credendi apertere deducuntur, & luculenter ostendunt, rectius ex istis absurdis prædictam adiaphoriam veluti novum in orbe Christiano Religionis monstrum abjici, contemni, quām pluribus rationum momentis ulteriū impugnari.

309. *Primum.* Inter Christianos nullos esse, ac reperiri Hæreticos, Pseudoprophetas, Magistros mendaces, Lupos rapaces, cùm plerique omnes Christum confiteantur, & symbolum Apostolicum venerentur; imò nec scripturam veteris ac Novi Testamenti Verbo tenuis respuant, juxta illud D. Hilarii lib. 2. ad Constantiū: *Memento, neminem hæretorum esse, qui se nunc non secundum Scripturam prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Ad quid ergo ab his cavere tam severè nos jubet Christus Matt. 7. v. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, & cap. 24. v. 11. Multi Pseudoprophetæ surgent, seducent multos.* 2. Petri 2. v. 1. *Invo-*
bis

bis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.

310. *Secundum.* Eos, qui inter Christianos præter symbolum Apostolicum nova introducunt dogmata, & pertinaciter tuentur, non esse devitandos à fidelibus, non oppugnandos à Prælatis, & Doctoribus, non prohibendos à Principibus, & Magistratibus, non damnandos à Sacris Synodis, & Capitulis; cur enim hæc adversus illos suscipiant, cum nova sua doctrina nulli noceant hoc ipso, quod illa citra jacturam salutis credi à quovis, vel non credi pro libitu possint; & tamen eosdem devitari, oppugnari, damnari apertis verbis jusserunt Apostoli. Idem gravissimis orationibus, & scriptis præstiterunt Patres: Exemplo sua serunt Principes, & Imperatores: multis denique Canonibus, Sanctionibus, Anathematismis ab exordio Ecclesiæ illud ipsum docuerunt generales Conventus, & Concilia.

311. *Tertium.* Adiaphoriâ istâ seu indifferentiâ credendi semel admissâ, factendum est, impiè perversèque Religionis

cau-

causâ tot lites, dissidia, & bella fuisse suscepta: delirare universos, ipsos etiam A-
eatholicos, qui sibi in rebus fidei contradicunt, séque mutuò exagitant, & acerbè perstringunt: fatuos jure haberí, quot-
quot inter Christianos unquam pro sua fi-
de, & religione fortiter laborárunt, sudâ-
runt, & decertârunt; quorsum enim hæc,
si omnes, cujuscunque Religionis Christi-
anæ existant, sint membra unius Ecclesiæ,
sint Filii DEI, sint capaces æternæ beatifi-
tudinis, si modò Symbolum Apostolicum
teneant? Imò fatendum est, ipsum Deum
& erroris & odiorum fidei causâ suscepto-
rum non auctorem modò, sed fautorēm
ac Procuratorem per diversas scripturas
esse, & Charitate atque Unitate Ecclesia-
rum scissâ delectari, ac probare hæc dissen-
sionum capita; siquidem ipse in una fide
complectatur omnes illos, qui à scipis i-
nimicè dissident.

312. Quarta R. P. Thysii Gonzalez
ex eadem Soc. Hoc ipso, quod aliquæ Re-
ligiones opponantur inter se in aliquibus
articulis, quos credendos proponunt, e-
videns

videns est non posse esse salvationem in utrisque, seu in omnibus illis: quia evidens hoc ipso est, aliquam, vel aliquas ex illis esse falsas, & non posse esse veram plus quam unam. Evidens autem est in Religione falsa, non posse homines salvari: ut enim testatur Cardinalis Bellar. in libro de notis Ecclesiæ capit. I. *Omnes consententur, in sola vera Ecclesia, seu vera Religione, esse veram fidem, veram peccatorum remissionem, veram spem salutis æternæ: additque, hoc docere omnes Patres, nec hæreticos id negare: nam idcirco (inquit) omnis hæresis ad se solam trahit veram Ecclesiam, & alios omnes extra Ecclesiam ponit.* Idque ratio evidens convincit, quia religio falsa nequit Deum habere auctorem: in Religione autem, quæ Deum non habet auctorem, sed diabolum, nequit esse salvatio, & spes salutis. Unde meritò Cyprianus in libro de simplicitate Prælatorum dixit: *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimiter noluerunt, ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas*

Ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: occidi talis potest, coronari non potest.

313. Quod autem evidens sit, ex Religionibus, vel sectis habentibus articulos aliquos oppositos, quos credendos proponunt, aliquam, vel alias esse falsas, constat: quia ut Religio sit falsa, non requiritur, ut omnia, quæ credenda proponit, sint falsa, satè est, quod aliqua, vel aliquod dogma falsum credendum proponat. Sic Religio Mahumetana falsa est, quamvis multa vera credenda proponat, videlicet unitatem DEI, præmium virtutis, pœnam vitiorum, & alia hujusmodi, quia cum his veritatibus proponit credendos multos errores. Sic Religio perfidorum Hebræorum multa vera credenda proponit, & tamen quia falsa cum illis miscet, falsa, & fallax est. Cùm ergo evidens sit, Religionem Catholicam opponi in multis articulis, quos credendos proponit, sectæ Calvinianæ, & Lutheranæ, evidens est, vel illas sectas esse falsas, vel esse falsam Religionem Catholicam Romanam.

314. Confirmantur hactenus dicta
 auctoritate Patrum. Sanctissimi ac eruditissimi
 quique arbitrii sunt secus ac adiaphori.
 Si minimum aliquid contra fidem cre-
 datur, eo ipso fidem atque salutem amit-
 ti constanter tradiderunt. Ita enim scri-
 ptum reliquit B. Gregorius Nazianzenus;
 nihil, inquit, periculosius his hereticis
 esse potest, qui cum integrè per omnia
 decurrant, uno tamen verbo, tanquam
 veneni guttâ, veram illam, ac simplicem
 fidem Dominicā inficiunt. Ac D. Hieronym⁹
 ubi de Origenis erroribus agit, disertis
 verbis affirmat, propter unum etiam ver-
 bum, aut duo, quæ contraria essent fidei,
 multas heresies ejectas esse ab Ecclesia.
 Hinc quoque D. Basilius apud Theodore-
 tum: *Qui sunt*, inquit, *in sacris literis*
educati, nec novam quidem syllabam divi-
norum dogmatum prodi sinunt, sed pro i-
stius defensione, si opus sit, nullum non
mortis genus libenter amplectuntur. Atque
 ideo etiam D. Augustinus hereticum ho-
 minem & ab Ecclesia alienum ita descri-
 bit:

bit: *Qui in Ecclesia, inquit, Christi, morbidum aliquid, pravumque sapiunt* (non dicit, qui de omnibus doctrinæ partibus pravè sentiunt, sed qui morbidum aliquid) *si correpti, ut sanum rectumque sapiant resistunt contumaciter, hæretici sunt, & foras exceentes habentur in inimicis.* Et præclarè hoc idem ante Augustinum ita confirmavit Divus Cyprianus: *neque enim inquit, Dominus noster JESUS Christus, cùm in Evangelio suo testaretur, adversarios suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designavit: sed omnes omnino hæreticos, qui secum non essent, & secum non colligentes gregem suum spargerent, adversarios suos esse ostendit, dicens: qui non est mecum adversum me est, & qui mecum non colligit, spargit.* Item Beatus Ioannes Apostolus, nec ipse ullam hæresim, aut schisma discrevit, sed universos qui de Ecclesia exissent Antichristos appellavit, dicens: *audistis, quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt. Ex nobis excierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis,*

nobis, mansissent utique nobiscum. Unde apparet, adversarios Domini Antichristos omnes esse, quos constet, à caritate atque ab unitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse. Ergo.

CAPUT XXI.

*Diluuntur, quæ pro stabili-
enda adferri solent adiaphoria.*

315. **O**bjiciunt rīmō. essentia, ac ener-
gia Religionis, seu officii quod
homo debet DEO, vel DEUS exigit ab ho-
mīne, ut æternā felicitate potiatur, sola
supremi Numinis dilectione absolvitur.
Primum, præcipuum, ac capitale præce-
ptum Religionis est de amando DEO. So-
lus amor propter se expetitur. Ejus gratiâ
reliqua ad Religionem pertinentia sunt in-
stituta. Inde amor DEI collatus cum re-
liquis partibus Religionis locum finis, vel
termini tenet, ad quem cetera tamquam
via, & media referuntur. Quidquid non
est amor DEI, aut nullo esse debet in pre-
cio, aut sola aptitudine ad parandum Det-

amorem æstimari. De DEO infinitè bono ne cogitare quidem licet, quòd à felicitate æterna exclusos velit, à quibus sincerè amatur. Unde nulla ceremonia, nullius rei notitia per fidem, est ad æternam felicitatem adipiscendam necessaria, sinè qua amare DEUM possumus. atqui sinè ceremoniis, sinè notitia per fidem earum rerum, quibus sc̄tæ non tantùm Christianorum, sed & Mahumetanorum, ac Judæorum discriminantur, DEUM amare possumus. Nam cognitio DEI sufficit, ut ametur, quæ sinè ceremoniis, & rerum tot sc̄tæ discriminantium notitia per fidem haberi potest. ergo quod ad fidem attinet, omnium sc̄tarum, etiam Judaicæ, ac Mahumetanæ associæ felicitatem æternam consequi possunt. Ergo nulla determinatè Religio ad consequendam est necessaria.

316. Confirmatur inter associas omnium sc̄tarum etiam Mahumetanæ, ac Judaicæ reperiuntur homines prudentiâ insignes, temperantiæ, ac justitiæ dediti, egregiè morati, quòdque princeps est cur
pjdi

pidi cognoscendi voluntatem divinam, ei-
que obtemperandi. Non est verosimile
hos omnes damnatum iri ad æterna suppli-
cia. Ergo

317. Confirmatur 2dò. fides ad in-
tellectum pertinet. Ejus actus sunt fun-
ctiones intellectus, qui est facultas expers
libertatis. Hinc fidei actibus nulla vis in-
est merendi sive præmium, sive poenam.
Sed absque eo, cui nulla vis inest meren-
di sive præmium, sive poenam, salutem con-
sequi possumus. Ergo sinè fidei actibus sa-
lutem consequi possumus.

318. R.n.min. Verba sunt Christi: si dil-
gitis me, mandata mea servate. Qui habet
mandata mea, & servat ea, ille est qui di-
ligit me. Joan. 14. v. 15. & 21. Idem esto
judicium de mandatis, & dilectione DEI. In-
de amor DEO ab hominibus debitus con-
sistit in DEI super omnia aestimatione, &
complacentia in sapientia, misericordia,
Potentia, maiestate, ac reliquis ipsius per-
fectionibus: tum in proposito ex hac aesti-
matione, & complacentia erato ad un-
gvem DEI gratiâ explendi quidquid impe-

rat, quod usque adeò firmum esse oportet, ut amans nullius commodi causâ, nullius rei creatæ amore velit deficere à DEI voluntate, imò promptus sit carere omnibus commodis, ex quibus oblectatio in animo cum amore DEI, cum obedientia erga DEUM, & subjectione erga ipsius præcepta simul consistere nequit. Diversus amor est infra nostram amandi DEUM obligationem. Qui minius amant, nonamant DEUM, ut oportet, nec digni sunt, ut amentur à DEO. Inter præcepta, & quidem naturæ rationali congenita unum est, ne protervè inficiemur, de quo dubitari prudenter non potest, utrum à DEO revelatum sit. Igitur aliqua ex causa inficiantem quantumcunque in speciem leve dogma id genus deficit obedientia erga DEUM, deficit propositum nullius commodi amore adversandi voluntati divinæ: deficit debita DEI æstimatio, & in ipsius perfectionibus complacentia, adeoque amor, si nè quo, etiam adiaphoris fatentibus, nulla esse potest salutis spes: deficit Religio salvataris. Tantam hæc perspicuitatem habent,

bent, ut neminem, præter atheos, fore
confidam, qui vim ac robur iis negare au-
sit. Jam Christum esse verum DEUM :
quidquid per se, per Apostolos docuit , à
DEO revelatum esse dubitare nequit pru-
dens, ob allatas cap. 2. & 3. rationes par-
imæ. Præterea quidquid Romana docet
Ecclesia traditum esse à Christo, & Aposto-
lis, num ab his re ipsa traditum sit vocari
in quæstionem non sinunt rationes p. 2.
c. 5. 6. 7. percensitæ. Igitur sínè fide om-
nium, ac singulorum, quos Romana pro-
ficitur Ecclesia, articulorū , sive ad substan-
tiam, sive ad media conservandæ substan-
tiæ Religionis, sive ad ceremonias perti-
neant 2dūm, leges modernæ providentiæ
nequit consistere amor DEI in animo hu-
mano; non spes ulla salutis; tametsi in a-
lja providentia, dum videlicet nihil per
sermonem revelâisset DEUS, sed sola re-
rum creatarum cognitione orbi innotuis-
set cum nostris erga eum officii partibus,
haud ægræ concedam & amorem DEI in
nobis, & locum spei perveniendi ad salu-
tem esse potuisse sínè fide in Christum, &

professione , articulorum , quos Ecclesia Romana profitetur.

319. Ad confirmationem. Sit justitiae , ac temperantiae retinens: sit clarus prudentiam , videatur eximiè moratus , & cognoscendae , ac explendae voluntatis divinae cupidus , qui praefracte negat , quod revelatum esse à DEO imprudenter dubitat , satis superque præbet causæ , ut à communione felicitatis cum DEO secludatur æternum . Quid refert , quod justitiae amans , quod misericors , cordatus quis sit , si mœchatur , si thorum alienum polluit ? Nunquid non præbet sufficientem causam , ut æternis addicatur idcirco suppliciis . Sic qui unica in re putat nō esse flectendū intellec- tū in obsequiū fidei credendo , de quo , an revelatū sit à Deo , nō dubitat : qui id quascunq; ob causas verū esse negat , neutiquā dign⁹ est , ut beatū Deus esse velit , quin meretur , ut vehementer castigetur . Qui mihi , qui veritati hic loci expositæ fidē non habet , de maiestate DEI , de auctoritate loquentis pessimè existimat . Vide c. 5. p. 1. Quotquot extra cœtum Romanorum sunt , sive amantes ,

sive inimici justitiae existant, tot in rebus
 putant non esse fleetendum intellectum in
 obsequium fidei, atque adeò DEI loquen-
 tis, quot dogmatis adversantur Romanis.
 Quare non verosimile modò, sed certum,
 clarumque est mereri universos, ut ob per-
 tinaciam, ob contemptum divinæ in lo-
 quendo auctoritatis severè plectantur.
 Non sola fide, sed & obedientiâ severo
 mandato sînè ulla exceptione fidem ha-
 bendi DEO, atque adeò charitate, destitu-
 untur. Unde cum Paulo 1. Cor. 13. in
 eos dici potest: quanquam justitiae ac tem-
 perantiæ sint studiosissimi, excellant pru-
 dentiâ, tametsi ultra hæc *linguis hominum*
loquerentur, & Angelorum, cum charita-
tem non habeant, facti sunt velut æs so-
nans. Fac quod habeam prophetam, &
nôrint mysteria omnia, & omnem scienti-
am, cum charitatem non habeant, nihil
sunt. Fingamus, quod distribuerint in
cibos pauperum omnes facultates, & tra-
diderint corpus suum ita, ut ardeant, cum
charitatem non habeant, nihil eis prodest.
nimirum conculcatâ auctoritate DEI lo-

quentis nolendo in animum inducere, quod genio adversatur, licet divino traditum sit ore, offendens in uno mandato credendi universa, quae à DEO dici audimus, factus est omnium reus Jac. 2. v. 10. Quemadmodum reatus culparum adversus totum decalogum, ita reatus unicæ culpæ per incredulitatem adversus primum decalogi præceptum eodem in animo cum sincero DEI amore consistere nequit. Peccatum hærescos, non secus ac cetera, arcet suos auctores à cœlo. Tametsi propter unicam infidelitatis culpam, & propter plures non perinde atroces exigentur pœnæ ab improbis, perinde æterna animadversione plecentur.

320. Ad conf. 2dam. Fides cum suis actibus pertinet ad intellectum, ceu causam, quæ elicit actus credendi; ad voluntatem, ceu causam, quæ impellit, fletit, determinat intellectum, ut assentiendo divinæ testificationi, eliciat actus credendi. Quocirca intellectus est facultas libertatis formalis, ac immediatae expers, velut facultas loquendi, progrediendi. Est

atta-

attamen facultas mediatè, ac denominatiè libera, cò quòd in rebus obscuris, uti sunt dogmata Religionis, neque à se, neque ab objecto, sed à voluntate determinetur ad assensionem, aut dissensionem, prout libet voluntati, cum ad modum, quo facultas progrediendi, vel loquendi determinatur à voluntate ad progredendum, vel consistendum, ad loquendum bona, vel mala. Proinde actus fidei sunt meritorii præmiorum, ratione piæ affectionis credendi, quâ liberè, à voluntate intellectum ad assensum flectente, imperantur. Pariter actus negandi, quæ tenenda sunt per fidem, meritorii sunt suppliciorum, ratione negligentiae, dum voluntas frivolas ob causas, deest officio flectendi intellectum ad assensum rerum revelatarum, & idcirco divina sapientia, ac veracitas haud mediocriter à non assentiente contemnitur. Istud adjectâ æternæ damnationis poenâ vetare, illud exigere cum sponsione beatæ immortalitatis DEUS à nobis potest, ac re ipsa vetat, & exigit.

321. Objiciunt 2do. Fidem in Christum omnium Religionum alumni habent. Hanc requirunt, hanc sufficere ad salutem ajunt sacræ literæ. *Qui crediderit salvus erit.* Mar. ult. *haec est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM,* & quem misisti JESUM Christum Joan. 17. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod possum est, quod est Christus Jesus 1. ad Cor. 3. Hoc qui teneat, quidquid de reliquis sentiat, cur salvari nequeat? Nam qui credit in Filium habet vitam æternam Joan. 3. Hoc fundamentum latro Luc. 23. & Eunuchus Reginæ Candacis fide apprehenderunt, ac tenuerunt, neque enim plus latroni, quam suam divinitatem humanæ naturæ junctam Christus revelavit; nec brevissimo tempore plura Eunicho Philippus annunciaro potuit. Istius solius fidei subsidio, Latro, quam credidit luce, in paradisum translatus: Eunuchus, quam Christum confessus horâ, baptizatus, naturæ divinæ consors, certusque de salute factus est. Corinthii ex solius nominis JESU invocatione, seu fide in Christum à D. Pau-

vocan-

vocantur sancti i. ad Cor. i. quamvis inter eosdem schismata essent, ut sunt inter Christianos Romanos, Lutheranos, Calvinianos &c. Ergo.

322. Confirmatur fieri non potest, ut adeò misericors DEUS, æternis gehennæ incendiis addicturnus sit homines, qui amore Christi, & salutis suæ zelosè profide certant; ac divino verbo nituntur, atque hoc studio pietatis propugnant, etiam si aliquantulum devii aberrent. Sic Lutherani, Calviniani, Unitarii &c. certant, verbo DEI nituntur, si qui errant, zelo pietatis errant, ergo.

Confirmatur 2dò: plerique non Romanì, è Romanis Salvianus Episcopus, Bonaventura, ipse adeò Pius 4tus Papa in literis ad Elizabetham Angliæ Reginam, ac proinde universus, si pauculos Romanorum excipias, orbis Christianus in sua quemque Religione salvari posse docet. Totus orbis non fallitur, ergo.

323. R. Fidem in Christum requiri, solam non sufficere ad salutem. Requiri sacræ literæ adductis locis docent, & à nobis

nobis cap. 2. ac 3. partis imæ comprobatum est. Solam sufficere ad salutem sacræ literæ nusquam perhibent. Non locis recitatis, aliisque similibus, ubi credentibus in Christum vita æterna promittitur. Nam pluribus exemplis constat, non exponi uno loco à sacris literis universa ex parte hominum ad salutem necessaria; sed his quædam, aliis alia, & ubique innui, qui hoc, vel illud fuerit executus, si in ceteris non defecorit vitam æternam habiturum. Sic dicitur *cùm ingemuerit peccator salvus erit. Timor Domini fons vitae Prov. 14.* Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. *Ipsa est quæ facit invenire misericordiam, & vitam æternam Tob. 4. & 12.* Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum Math. 5. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Luc. 11. Nec idcirco salvus erit ullus, quantumcunque ingemiscat post lapsum, sit Iro pauperior, eleemosynas largè dispenset, nisi præterea fidem in Christum habeat. Non latro, non Eunuchus, non ullus alias sola fide in Christum, sed explicita in hunc,

implicita, ac confusa omnium, quæ revelata sunt, fide cū proposito credendi reliqua explicitè, statim ac revelata comperientur: item spe, ac charitate justificantur, & salvantur omnes. Ad ejusmodi justificationem, atque adeò ad salutem consequendam non latroni, non Eunicho, aliive longi temporis institutione opus fuit. Schisma inter Corinthios non manabat ex pertinacia: Nam omnes erant promptissimi ad probandum, quod æquum, & Dei voluntati consentaneum compertum fuerit. Dissidium non erat de credendis mysteriis, sed de præstantia magistrorum Evangelium annunciantium. Contrà inter Lutheranos, Calvinianos, Romanos schismatum fons est pertinacia, cùm post aperte toties comprobata Romanorum causæ æquitatem à Lutheranis Calvinianis damnetur. Lis est de credendis mysteriis, atq; adeò num sit, num non sit recipiendum DEI testimonium ita, ut si ab omnibus non recipiatur, à quibusdam contemptui haberi pluribus in rebus necesse sit. At illa pertinacia, hic contemptus divini testimo-

stimoniī gravissimā culpā non potest carere ,
 quacum vita æterna nequicquam expe-
 ctatur. Christus est omnino fundamen-
 tum , at ut *fundamentum* (sunt verba Ja-
 cobi Masenii è Soc. Jesu) *non est tota do-
 mus* , ità nec *fides in Christum tota fides
 nostra*. Ut igitur , qui *fundamentum collo-
 cat* , de *tota cogitat erigenda domo* , ità qui
credit in Christum , *doctrinam quoque ipsi-
 us cum ipso amplectitur* , ut vitam habeat.
Credere ergo in Christum , *non solum est i-
 psū credere* , *sed & ipsi docenti per se* , *&
 ministros*.

324. Ad confirmationem: nequeunt
 pietatis studio pugnare de mysteriis , qui
 agnitam veritatem , & quidem à DEO re-
 velatam , impugnant , vel in luce meridia-
 na collocatæ tot documentis credibilitatem
 intueri nolunt , dignam ob testificationem
 divinam creditu negant , ut liberiùs cupi-
 ditatibus obsequantur , quas Romana do-
 ctrina vehementer frenat.

Ad conf. 2dam. Non est tam minuta
 Romanæ doctrinæ pars , ut sinè ejus fir-
 ma fide quemquam Romani salvari posse

existiment. Sive DEUM, sive piaculares flammas, sive Christi pro genere humano acerbissimam mortem, sive obligationem se abstinendi à carneis epulis, dum præcipit Ecclesia, aliudve quid in speciem levius non credas, perinde reum te gehennæ peragit, nisi resipiscas æternūm damnandum, hæreticūmque diabolo tradendum, imò traditum, habet certum, quisquis verè Romanus est. Hinc Salvianum, Bonaventuram, Pium pernego unquam docuisse, posse omnes in sua Religione salvari. Si id hi, aliive docuissent, esse illico Romanij desissent, neutiquam Romani fuissent; ut Lutherani Calviniani Unitarii non sunt. Salvianus in loco, qui ab adversariis produci solet, non ait Gothos, Vandulos, aliosve sinè Romanorum fide salvari posse: sed quod decepti ab Episcopis, in hæresim, tametsi non sinè culpa, sint prolapsi, punitum iri mitiùs sceleratis Romanis, si à flagitiis sibi temperent. Bonaventura distingendo credibilia in antecedentia, constituenta, consequentia, non negat omnia esse credenda à cupido salutis, sed docet my-

ste-

steria symbolo Apostolorum comprehensa esse præcipua in Christiana disciplina, atque in hæc, si rite credantur, revocari cetera. Verba Bonaventuræ sunt *Articulus de præsentia in Eucharistia revocari potest ad articulum de omnipotentia DEI, vel ad articulum de Passione, & morte Christi, Baptismus ad articulum de Remissione peccatorum &c.* Epistola Pii IV. ad Elizabetham Angliæ Reginam hortantis, ut in Romanis Episcopis supremam auctoritatem in fideles veneretur, cetera, ut libet credi, aut non credi permittentis, non est Pji IV. sed cuiuspiam impostoris. Si sectarii Romanos copiâ excedunt tanto, ut comparatione Romanorum orbis Christianus dici queant, fallitur orbis, quemadmodum sectarii orbem esse deceptum utique fatentur, dum Judæorum comparatione ante Christum natum dici orbis potuere ceteri, & pudendis erroribus laboraverè. Si orbem tetrarum in viginti quatuor partes seces, quinque duntaxat sunt Christianæ, reliquæ vel Mahumetanæ, vel Paganæ. Possint nec ne dici comparatio-

ne partium Christianarum orbis terrarum; nihil refert, satis est pauculos esse Christianos comparatione reliquorum. Romanorum perinde, atque non Romanorum sententia hæc omnes falluntur. Fides est via, quæ dicit ad Cœlum. Multi an pauci ingrediuntur per eam? proscætò pauci. E carentibus an ex instruētis germana fide eliguntur ad vitam æternam? ex instruētis. Multi an pauci sunt electi? multi vocati, pauci electi. Igitur paucis quamvis non solis electis germana fides inest, plerique omnes halucinantur de rebus divinis.

CAPUT XXII.

Respondetur ad alias objectiones.

325. **O**biciunt ȝ. Quicunq; credit, quæ sunt necessaria necessitate medi, & præcepti, potest salvari; sed cujusvis inter Christianas Religionis affeclæ hæc credunt, ergo. P. min. Cujusvis Religionis inter Christianas affeclæ credunt DEUM & comprehensa in symbolo Apostolorum; sed Ec qui

qui credit DEUM, & comprehensa in symbolo Apostolorum, credit omnia necessaria necessitate medii, & præcepti, ergo. P. min. *Symbolum est Regula Fidei brevis, & grandis, brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum, ut ait S Augustinus.* Nullum est credibile à Fide, quod non possit reduci ad articulos in symbolo contentos, ità Divus Bonaventura, adeoque omnia credenda continentur in symbolo, ergo. Conf. Nîl credi exigitur à quocquam, ut salvus fiat, ultra ea, quæ credi à morituris satís est, ut in Domino moriantur. Nam non requiritur in valentibus ac vegetis alia, in ægris, ac jamjam morituris alia fides, ut omnes fiant salvi, sed à morituris ut in Domino moriantur satís est credi DEUM, & comprehensa in symbolo. Nam ipsi Romani, si quando morituros hortantur, ad frequentandos fideli actus, ut ultra DEI unitatem, ac Trinitatem, & ultra symbolum aliquid credant, non hortantur. ergo

326. R. ad 2dam con. maj. n. min. ad prob. d. maj. cuiusvis Religionis inter

Chri-

Christianas affectæ credunt DEUM, & comprehensa in symbolo Apostolorum; quia sibi frivolis rationibus persuadent esse revelata, aut quia spiritus privatus revelata docet; & quidem credunt sine affectu credendi reliqua statim, ac revelata esse à DEO constiterit, transeat maj. cujusvis Religionis inter Christianas affectæ credunt DEUM, & comprehensa in symbolo Apostolorum verè ob revelationem DEI, in sensu ab Apostolis intento, ac cum affectu credendi reliqua statim, ac à DEO revelata esse constiterit n. m. & sic d. min. Conseq. Ad actum divinæ fidei satis haud est, ut vera habeamus, quæ DEUS revelavit, plura præterea sunt necessaria, & imprimis quidem, ut in sensu intento à DEO credamus, quæ revelavit. Secundò, ne ob rationes fallaces, aut humanas, sed ob revelationem DEI credamus. Tertiò, cùm infinita DEI veracitas efflagitet summam à nobis reverentiam, & obsequium intellectuale credendis omnibus, quæ revelaverit, ad actum divinæ fidei requiritur, ut cuivis revelatæ rei firmissimè assentiamur

cum affectu credendi reliqua, si à DEO re-
 velata esse constiterit, quemadmodum ima-
 par. num. 2. 3. 4. 5. & toto capite 6. decla-
 ravimus. Atqui non Romani nihil cre-
 dunt idcirco, quod à DEO revelatum sit, sed
 quod temere interprete Spiritu, quem San-
 ctum vocant, & reipsa est spiritus vertigi-
 nis, perfyadeant sibi esse à DEO revelatum.
 Non credunt res à DEO revelatas sensu in-
 tento à DEO, sed à se sacris literis assuto.
 Non credunt enim eo sensu, quo totâ re-
 tro memoriâ Christiani, omnes sapientes,
 Sancti, Gentes, Patres Martyres omnes
 crediderunt, quos adscititio, non genui-
 no sensu mysteria à DEO revelata credi-
 disse, quis præterquam insanus dicat? sic
 credendo illum symboli articulum descen-
 dit ad Inferos, credunt quod Christus mor-
 tuus gehennam gustaverit, nibilominus,
 quam animæ damnatorum, nisi quod sibi
 restituendus erat. At secus crediderunt
 Christianorum sapientes, sancti, gentes,
 Patres, Martyres. Sicut in Christum cre-
 dentes tenemur credere Christo, ejusque
 doctrinæ, ac verbo, sic etiam credentes

Ecclesiam Catholicam ejusdem doctrinæ assen-
tiamur; & in rebus fidei controversis, il-
lius sensu potius, quam privatorum judi-
cio, spirituque, qui merito suspectus est,
definiamus. Ita Massenius. Sic credidere con-
stanter veri Christiani. Alter credunt hodie,
tum hunc, tum alios symboli articulos, non
Romani, ut ostensum est n. 302. & sequent.
Videant ne ipsis contingat, quod D. Augu-
stinus assertit fieri posse, ut aliquis perver-
sus, *integra teneat verba symboli*, & ta-
men non rectè credat. Denique non cre-
dunt cum affectu statim credendi reliqua,
ac revelata apparuerint, quia plures arti-
culos de Eucharistia, de bonis operibus,
consiliis &c. evidenter dignos creditu ne-
gant, quod cohærere nequit cum tali affe-
ctu, & vero divinæ fidei actu, ut patet
ex cap. 6. par. 1. *Habent ergo de rebus revela-*
tis non nisi opinionem quandā, ut loquitur D.
Thomas, secundum propriam voluntatem.
Habent fidem, sed ei haud absimilem, quā
DEUM bona opera muneraturum prava pu-
niturum credunt etiam non Christiani.

327. Ad confirmationem dist. maj.

Nil credi exigitur à quoquam ut salvus fiat
 ultra ea, quæ fide implicitâ credi à mori-
 turis satis est con. maj. ultra ea, quæ fide
 explicitâ credi à morituris satis est n. m. dis.
 etiam min. à morituris fide explicitâ credi
 DEUM, & comprehensa symbolo Aposto-
 lorum satis est trans. min. tum explicitâ,
 tum implicitâ fide à moritutis credi DEUM,
 & comprehensa symbolo Apostolorum sa-
 tis est n. min. & con. DEUS à mortalibus,
 ut salute potiantur, nil credi, nil præsta-
 ri unquam requirit ultra ea, quæ specta-
 tâ virium imbecillitate, aliisque circum-
 stantiis credere, præstaréque possunt. Non
 enim præcipit, nec exigit impossibilia. Non
 præstituit ulli finē, quin media ad consecan-
 dum statuat in ejus potestate. Id enim
 cum sapientia pugnat. Unde vult cultu præ-
 stantissimo supremæ excellentiæ consenta-
 neo coli à mortalibus. Vult, ut ad se, ve-
 lut finem nostrum ultimum sæpius in vita
 nos convertamus, applicemusque, quod
 potissimum per actus Theologales præstatur,
 credendo quæ dignatus est revelare, speran-
 do in ejus misericordia, & prosequendo
 infi-

infinitam bonitatem. Verum quoniam ante usum rationis non est expedita in nobis facultas credendi, sperandi, amandi, non obligat ad haec ante usum rationis; sine fide spe charitate actuali infantes sacro fonte ablutos salvayat. Contrà primo instanti usus rationis vult, ut credamus, speremus, amemus, poenas comminatur, nisi paremus, dum ad hanc obligationem advertimus. Vult, ut deinceps quoque ex filiali amore, ac timore sibi serviamus varia pietatis officia obeundo. Sicut vult, ut exordio vitae ab omnibus velut auctor universorum per fidem agnoscatur, ac per spem, & charitatem diligatur, ita vult fugiente vita, ut firmiter per has virtutes ceu ultimo fini adhaereamus. Cumque vires lapsæ tunc parentes non sint obeundis pietatis officiis, quæ à valentibus ac vegetis commodè præstari possunt, haec officia in articulo mortis non exigit, neque explicitam articulorum fidem, sine qua eadem obiri, non possunt, requirit. Exigit tamen ut se auctorem universorum agnoscant cum affectu credendi omnia, quæ revelata co-

gnoverint, cùm etiā id tum præstari com-
modè possit. Id nisi præstetur, parum
erga DEUM officiosi sumus, parum ala-
er tatis ad exhibendā auctoritati supremæ
in loquendo reverentiam adferimus, ut
cap. 6 par. 1 mæ ostensum est. Sic creden-
do auctorem universorum, credimus im-
plicitè omnia, quæ à DEO sunt revelata.
Ultra hæc nîl unquam à quoquam creden-
dum est ex obligatione, imò credi nequit.
At quemadmodum satis non habet, quòd
credatur auctor nostri generis, & quo-
modocunque diligatur velut summum bo-
num donec valemus, sed alia præterea pi-
etatis officia requirit, ità fidem explicitam
præterea illius revelatæ doctrinæ exigit, si-
nè qua ea pietatis officia obiri nequeunt.
Nec valentibus autem, nec mortuis fas esse
vult unquam, ut ullam doctrinæ revelatæ
partem negent.

328. Objiciunt 4tò. Ut quique in
sua Religione salventur, satis est, quòd
habeant unitatem fidei fundamentalis, re-
liquæ enim dissensiones solummodo sunt
fænum, stipulæ, & ligna, quæ super ædi-
fican-

ficantes fundamento patiuntur quidē damnum, salute tamen non excident. Sed Lutherani, Calviniani, Unitarii, Romani habent unitatem fidei fundamentalis. ergo prob. min. Quæ inter Romanos, Lutheranos, Calvinianos, Unitarios controvèrtuntur, sæculo primo erant creditu libera ex voluntate Christi, nam per subsequa concilia sunt inter articulos divinâ fide credendos relata. ergo. Confirmatur. In Ecclesia Judaica, Pharisei, Sadducæi, & Esseni habebant unitatem fidei essentialis ad salutem sufficientis, ut inde constat, quòd unum habuerint templum, eundem expèctârint Messiam, unâ plures non exstiterint Ecclesiæ; idque idcirco quod crediderint omnes in verū Deū, ac Messiam venturum, quamvis multis in rebus sibi adversarentur: ergo similiter Romani, Lutherani, Calviniani, Unitarii credentes comprehensa symbolo Apostolorum habent unitatem fidei essentialis ad salutem sufficientis, quamvis quoad reliqua à se discedant. Confir. 2dò Thomistæ, Scotistæ, Dominicanorum, & Soc. JESU scholæ habent fidem

salutarem, cum summo dissensu quoad multas doctrinas: ergo similiter Romani Lutherani &c. possunt habere fidem salutarem cum dissensu quoad nonnulla dogmata.

329. R. ad 4tam transmissâ maj. neg. min. nam Romanis, Lutheranis &c. dissensio est circa multi, de quibus prudens dubitare nequit, num à DEO revelata sint. Dissident ergo de rebus nihilominus evidenter dignis creditu, ac reliqua fidem merentur, in quibus convenient. Itaque dissident in credilibus, quæ sine injuria veracitatis, ac sapientiæ DEI negari nequeunt, quam, nisi salutari pœnitentia expicitur, & emendetur, DEUS certissimè æternis suppliciis ulturus est: non dissident ergo in solis accessoriis, sed in fundamentib; transmissâ est objectionis major, quod vanissima sit distinctio credendorum articulorum in fundamentales & accessori- os, qui sint stipula. Sunt alii aliis secundùm se digniores, at postquam revelatos esse constat, obligamur pari sub peccato sine ulla exceptione credere omnes. ad prob. neg.

neg. antecedens. Quæ per Concilia in articulos fide explicita credendos sunt unquā relata, semper sunt à genuinis Christianis credita implicitè, dum credebant sanctam Ecclesiam Catholicam, aliisque articulos cum affectu credendi explicitè, quidquid magistrâ Ecclesiâ cognoverint revelatum à DEO. Hinc nihil eorum est à Christo relictum liberum creditu, sed quod statim non apparuit, tempore procedente sufficientibus compertum est indiciis, revelatum esse à DEO. Statim, ac id compertur, fatuus sit oportet, qui existimet liberum esse, ut hoc ac similia alia probet vel neget.

330. Ad Confir. dico, si una erat Pharisaorum, Sadducæorum & Essenorū fides, non digladiabantur de articulis evidenter credilibus. Quoniam de his est lis Romanis, Calvinianis &c. omnibus esse nequit una fides, imò necesse est plerisque nullam omnino fidem esse. Re ipsa Sadducæos fuisse hæreticos, adeoque non habuisse unam cum Phariseis fidem perinde, ac Romanis Calvinianis &c. non est una fides inde

inde patet, quod negaverint carnis resurrectionem. Nec æquum est Christianæ Ecclesiæ fidem, sanctitatémque estimare moribus Synagogæ; estò enim sit inter utramque analogia quædam, non est tamen æqualitas, aut simil tudo perfecta.

Ad confir. 2dam concessso antecedente neg. cons. nam scholæ Catholicæ non disfident in rebus evidenter credibilibus, sed quæ his non videntur, aliis videntur non nullis indiciis revelatæ, idque patet cum inde, quod Ecclesia nunquam eas res credendas proposuerit, tum quod illi ipsi, quæis revelatæ videntur, plerumq; non esse id clarum, certumque fateantur. Accedit, quod omnes harum dissidentium scholarum Magistri, ac discipuli parati sint damnare suas opiniones statim, ac Ecclesia definierit adversas esse credendas, adeoque cum dissensi opinionum summa iis (est conjunctio affectuum, & voluntatis cupidæ audiendi Ecclesiam, eidemque parendi in omnibus rebus. At Lutherani, Calviniani, Unitarii dissident à Romanis, & à ipsis circa res evidenter credibiles, atque

ut credantur, propositas ab Ecclesia. Non sunt parati credere, quæ credenda docuerit Ecclesia. Nam apertè adversantur Ecclesiæ. Igitur nec in dogmatis, nec in affectu credendi est iis illa unitas.

331. Objicies 5tò. Ad rationem fidei salutaris, & sinceritatem Ecclesiæ Christi non requiritur unio cum Romano Papa. Nam in India, Sinis viguit post tempora Apostolorum salutaris fides. Indis, Sinis nulla unquam erat unio cum Roma; etenim repertis recentijs doctrinæ Christianæ pluribus indiciis istis in Provinciis, communionis cum Roma nullum reperiatur vestigium, imò nulla inter distantes tanto intervallo fingi potest communicatio; ergo possunt non Romani perinde ac Romani habere fidem salutarem.

Confirmatur: Ecclesia Græca in hunc usque diem mirabiliter à DEO conservatur exstinctis interea aliis sectis; ergo non displicet, sed placet DEO, quamvis dissident ab Ecclesia Romana: ergo dissidentes à Romanis nihilominus ac Romani possunt

pla-

placere DEO , atque adeò habere fidem ,
sinè qua DEO placere est impossibile.

332. R. ad 5tum neg. antecedens
Romano Papæ collatam esse regendorum
Christi fidelium supremam potestatem , iis-
dem manifestum est indiciis , quibus con-
stat revelatum esse , quòd Christus pro pec-
catis humani generis atrocja sit perpessus ;
igitur perinde illam in Romanis Pontifici-
bus potestatem , atque hanc mortem non
recognoscentes carent salutari fide; sunt ex-
tra Ecclesiam Christi. Reperta omnino sunt ,
sed admodum obscura nonnullorum , non
omnium Christianæ doctrinæ articulorum
quondam in India & Chinis florentis indi-
cia. Dominicæ passionis , baptismi , pœni-
tentiaæ nulla illic vestigia . An ideo fi-
des salutaris consistere potest , quin creda-
tur dominica passio &c. perinde ratioci-
nandum est de unione cum Romana Ec-
clesia , & fidelium erga Papam subiectio-
ne. Qua arte in Indiam , & Chinis an-
nunciaturi Christi doctrinam Apostoli pe-
netrârunt , ea inter distantes sinas , Indos ,
Romanos contrahi , & conservari amici-
tia ,

tia, & subjectio potuit. Quod nunc fit, cur prius impossibile æstimemus.

333. Ad conf. ajo si Græci non credant esse penes unum ex institutione divina supremam auctoritatem in totam Ecclesiam, aut Spiritum à Patre, & Filio procedere, destituuntur fide salutari: quia negans vel unum articulum evidenter credibilem, quales hi duo sunt, nequit ullum divina fide credere ex c. 6. par. 1^{ma}. Sin hos articulos, quod ad rem credant, sed fidem vocibus non sat aptis veritati aperiendæ explicit, & Romano Papæ non parent, fide incorrupta sunt præcisè Schismatici. Qui schismatis sine culpa ob penuriā uberioris instructionis insistunt, salvari possunt, estò in alia peccata prolabantur; habent quippe veros Sacerdotes, genuina Sacra menta, per quæ remittuntur peccata, atque eo fortassis nomine non deseruntur penitus à DEO. Adiaphori & alii similes non modò non parent Romano Papæ, sed multa, quæ Papa credit, & ab omnibus Christi fidelibus credenda sunt, cum pertinacia inficiantur. Itaque hæretici,

tici, & vel hac sola ex causa perinde ac adulteri, aut sodomitæ jure, meritóque damnandi sunt, si hæresim non ponant, & ad nos transeant, ut à veris Sacerdotibus ab eadem absolvantur.

CAPUT XXIII.

Refellitur comparativa Gardeni Theologia pro adiaphoria.

334. **O**bijc. 5. Nihil est cur Christiani desperent salutem, ob errores in materia fidei circa non requisita necessariò ad fidem, sed annexa fidei per accidens. Nam soli errores fundamentale quodpiam principium Religionis proruētes sunt damna-biles. atqui diversarum sectarum affeclæ Christiani laborant in materia fidei erroribus circa annexa fidei per accidens, ni-mirum circa multiplex discrimen tot sectarum : ergo nihil est cur Christiani desperent salutem in sua quisque Religione ob errores in materia fidei. Igitur omnes in sua Religione salvari possunt. Prob. min. in Religione spectanda est cumprimis essen-tia;

tia; deinde quæ ad integratatem ejus conducunt, seu media conservandæ. Religionis essentia, si sumatur latius, pro omnibus, non quæ semper, & in omni statu Religioni convenient, sed quæ in statu naturæ corruptæ necessaria sunt, ut æternæ felicitatis participes fiamus, sita est in fide Christiana, præter dilectionem DEI: quæ cùm aliter ac per scripturas non innotescat, hæ quoque in principiis fundamentalibus saltem secundariis, & essentia Religionis habendæ sunt. Cætera, uti pastores, disciplina ecclesiastica, Sacra menta &c. conducunt quidem ad conservandam Religionis incorruptam essentiam, non sunt tamen cum eadem, aut cum æterna salute infallibiliter connexa, neque ita necessaria, ut sine illis veram Religionem, & salutem consequi nequeamus. Sunt igitur præcisè per accidens annexa fidei. Cujus rei insigne documentum nobis præbent è Sanctis anachoretis plurimi, & nominatim Paulus ipsorum antesignanus, qui à prima adolescentia, usque ad extremam senectutem in remota solitudine vitam solitariam degens,

absque omni hominum (præterquam unius Antonii, ejusque brevi admodum temporis spatio, & paulò ante obitum) consortio, magnam sanctitatis famam in Ecclesia Christiana meritò consecutus est. In ea enim solitudine neque pastorum, quos audiret, neque antistitum, à quibus disciplinæ præcepta acciperet, neque Sacerdotum, ad ministranda Sacra menta, ullus aderat. Atqui sectarum Christianarum multiplex discrimen est circa pastores, circa disciplinam ecclesiasticā, circa Sacra menta &c. Ergo circa multiplex discrimen tot sectarum, adeoque circa sola per accidens annexa fidei laborant Christiani erroribus.

335. Conf. *Regimen ecclesiasticum in corpore Christianæ Religionis non cordis, aut alicuj^o nobilioris visceris, sed extremarū partium locum obtinet. Satius, nec non Christiani nominis honori, pietati, ac paci conducibilius est de hoc, & aliis simili bus à religionis centro longius remotis pro arbitrio sentiendi, loquendi, & agendi facultatem permettere, ergo. Iste est comparativæ Gardeni Theologiae nucleus.*

Conf.

Conf. 2dò. Tolerantia repugnantium circa dogmata opinionum sita in eo, ut dissidentes, neglecto Religionum velut divortio pacati vivant, & communī legum, ac civilis imperii, nec non Sacramentorum beneficio fruantur, hanc habet indolem, ut causæ super capitibus fidei digrediandi persistant, pravi autem effectus cesserent. Expedit, ut dum super controversiis Religionis fructus pacis desperamus, istius tolerantiae, ceu induciarum emolumenta percipiamus. Nam quidquid sentiant litigantes, *si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissolvetur, si verè ex Deo est, nō potestis dissolvere illud.* ità Gamaliel Act. 5. v. 38. & 39. Hanc tolerantiam svadent, insectationē dissidentium disvadet Lactantius lib. V. Divin. Instit. c. 20. & Tertullianus lib. ad Scapulā, ergo. Sic Gardeno suppetjas fert Puffendorff, & Historia Diplomatica.

336. R. Ad 3tiam neg. min. Ad prob. ajo nec min. nec maj. esse omni ex parte veram. Non est vera maj. Nam inter seetas Christianorum, de pastoribus, de disciplina Ecclesiastica, de Sacramen-

etis &c. discrimen est circa res à DEO tam apertis indicis revelatas, ut non nisi imprudenter revelatæ negari queant. Cùm eadem sit ratio omnes id genus res credendi, nimirum summa sapientia, & veracitas revelatæ divinæ majestatis, par idcirco est obligatio, ut remota omni exceptione credamus universas. Pari scelere conculcatur sapientia, & veracitas revelantis, sive grande mysterium, sive leviores in specimen historias, pro dubiis habeamus, dum revelatæ sunt. Cum tam atroci scelere amor DEI in nullo homine consistere potest. Nulla in re perfidiam in DEUM sinet inultam justitiam DEI. Frustrà idcirco ac ineptè per accidens alia, necessariò alia ad substantiam Religionis requisita Garden distinguunt, de quibus vel inter se, vel cum Romanis sectarii digladiantur. Quædā qu idē præcipua, minus præcipua reliqua vocari possunt; at alia necessariò, alia per accidens requisita ad substantiam Religionis, dum evidenter credibilia sunt omnia, existimari à prudente non possunt. Nec suffragantur Gardeno anachoretæ. Neque enim

enim in solitudine nati sunt: nec ita se subduxerē publico, ut nunquam in unum convenirent ex variis eremis; quod transmissæ ad nos eorum spirituales collationes manifestè indicant. Non omnes erant laici: non eximi à potestate, imò erant peculiari obedientiæ voto prælatis obstricti. Quare imperitè Garden supponit, non probat eos sinè usu Sacramentorum, sinè reverentia erga prælatos, sinè lege, sinè disciplina, sinè fide de potestate pastorum, de disciplina Ecclesiastica, de sanctimonia Sacramentorum vixisse, & è vivis excessisse. Nō est vera min. nā N. 302. & scq. ostendimus de sensu symboli Apostolorum, atq; adeò de Christo, de Christiana fide, esse disceptationem inter Christianos, & quidem ita, ut errare plerosque oporteat in eo, de quo disceptant.

337. Hæc à Gardeno conficta ad componendam de dissidiis Religionum inter Christianos pacem Theologia Christianos priùs efficerit paganos, quàm pacatos. Nam cui peculiaria Romanis dogmata, ob subtilitatem, an hallucinationem Garde-

ni dicam, sat clarè credibilia, & credenda
 non efficit præteritorum seculorum, san-
 ctorū, sapientū Christianorū, ac gētiū deser-
 tis inveteratis ritibus consensus in eadem, &
 pro retinendis fortitudo inter cruciatus; ei il-
 le consensus, hæc fortitudo sacras literas, &
 Christi divinitatē credēdam esse neutiquam
 persuadebit; aliud autē superest nihil, quod
 illas literas, aut hanc divinitatem svadere
 queat. Tū verò homo ille voce ten⁹ Christū,
 sacras literas celebrare potest, ne impieta-
 te stomachum probis moveat, venerari,
 sincerè non potest, quia vanissimas existi-
 mabit causas, ob quas alii Christum cen-
 DEUM, & quasdam literas, ceu divinas
 venerantur. Quid porrò? è tantis indiciis
 parem dignoscendæ divinitati Christi, &
 sacrarum literarum lucem non hauriens,
 in natura nihil esse crebet, cur Numen a-
 gnoscere, coleréque prudens debeat. De-
 dum quid? discussis causis metuendi scruta-
 tantem corda, pium in superos, æquum,
 sobriumque simulabit, æquum & iniquum
 reapse perinde habebit, virtus an dolus ad
 honores, ad opes, ad popularem plausum,

ad gratiam potentiorum opituletur, ei curæ non erit; litabit voluptati, certè Christi & sacrarum literarum divinitatem non credet fide probatiore, quām Alcoranum esse DEI verbum, & Mahometem ejus Prophetā credāt Mahometani. V.c 4.p.2.ad c. 15.

338. Ad conf. n. añs. *Domus DEI*, inquit August. *credendo firmatur, sperando erigitur &c.* Igitur fundamentum Domus DEI, extra quam nulla est Religio, nulla salus, labefactare molitur, qui fidem qua-
tiendam suscipit; fundamentum domus DEI everterit, qui sustulerit fidem. Quan-
ta tum ruina? quæ jactura? Nulla pars reliqua ædificii erit. Nihil porrò gra-
viùs in fidem divinam attentaveris, ac siu-
nicam, prudenter volendi credere, ratiō-
nem de medio tollas. Non prudentior,
non par, configi potest ratio volendi cre-
dere quæcunq; dogmata, quām exemplū vi-
rorū, quos Romani ex æquo & non Romani
sapientes, sanctosque habent, eadem creden-
tiū; exēplū itē gentiū, quotquot gregi Chri-
stianorū unquā sunt adjunctæ, cōspiratiū ad
profitēda, tamē si moribus inolitis, cupidi-

tatibusque essent summè adversa, & descri i-
deo oporteret seetas ad consecandas volu-
ptates accommodatissimas; deniq; in exquisi-
tis crueiatibus ultra humanā tolerantiam, ac
fortitudine, atque adeò spiritu, ac virtute di-
vina constanter hæc dogmata semel recepta
retinentes. Sanè privatim docens, aut docere
privatim temere creditus, incertum ater, an
albus spiritus conferendam tam illustri e-
xemplo non præbet rationem volendi cre-
dere, quod adversatur tot, ac talium fide-
lium dogmatis.

339. Tu Gardene, prætextu fructu-
um è pace, mutuæ benevolentia, Chri-
stianæ charitatis contendis divinum hoc
ce exemplum, divinum hunc consensum,
parem in consensu constantiam non esse
idoneam prudenter volendi credere pecu-
liaria Romanis dogmata ratione. Eo pacto,
ne quidē Christi, & Biblijorū divinitati à fano
credendæ sat mometi in eo exemplo esse in-
nuit. Aliam, ne dum meliorē, sed nec parem
ratione volendi credere revelatas veritates
adducis. Sic ad tollendam de medio oni-
nem divinam fidem, ejusque necessi-
tatem

tatem ad salutem, vel ad sufficiendani divinæ, fidem Mahometanæ persimilem nervos ingenii contēdis, adeoq; ad demoliendā uno impetu DEI domum studia confers, & cùm extra domum DEI certus, sempiternusque sit interitus, ab ungibus, & fauibus Cerberi divino sanguine, & atrocissima morte Christi vindicatum genus humānum, ut in tartara eat præceps, abstractum à Cœli limine, adlaboras.

340. Frons attamen homini est, dum tantā perniciē molitur, jactare, quòd pacem expetat, charitate Christiana moveatur, *de remotis à centro Religionis opinionibus pro arbitrio sentiendi, loquendi, & agendi facultatem efflagitet.* Audacia an ignorantia turpiore laboret incertum. Tam apertere ad conculcanda Religionis dogmata niti, & studium componendæ pacis, redintegrationem charitatis inter dissidentes remotarum à centro Religionis controversiarum non sat intellectarum causâ præferre grandis admodum est temeritas. Inter dogmata discriminē statuere, ut quibusdam sine injuria DEI, & jactura salutis, non item

aliis, fidem negare fas sit, non habitâ ratione momentorum, ob quæ velle credere possumus, ac debemus, nihilo minor, certè probrosa admodum est ignoratio censoribus Theologorum, quos Gardeni, Puffendorffii gregales se se ferunt.

CAPUT XXIV.

Puffendorffio & Diplomati- cæ Auctoribus satisfit.

341. Ad 2dam confirmation. Dico cum S. Cypr. ¹ in Ep.
 3. l. 1. nulla, cum hæreticis commercia copulenter, nulla convivia, vel colloquia miscentur, simusq; ab eis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi. S. Leo ser. 18. de pass. Dñi Viperei inquit, hæretorum vita colloquia. Nihil nobis commune fit cum eis, qui Catholicæ adversantes fidei solo sūt nomine Christiani. Sic, inquit Athanasius, Hæreticos detestabatur Anton., ut tib; diceret, nec juxta eos quidē esse accedēdū. Dū sermo est de hæreticis Pau. Apostolo, sollicitè monet: *hos devita.* Cerinto aquas ingresso Joannes Evangelista non lotus exilivit de balneo. Samosatae Arrianus Episcopus, cùm ad populum vellet, ad sellas & parietes diffugiente Catholico populo è suggestu verba faciebat; non lavare modò simul, sed.

sed & eadem uti ad lavandum aquâ, cùm secederet, piaculum duxere Samosatenses, non priùs quâm evacuaretur, balineum ingressi. Postquam jumenti, quo vectus, pedem, pila contigisset, tantam liberis inseverunt hæreseos aversationem, ut inquinatam contreftatione lusitantes pueruli nullâ arte satis purgari posse, sed exstructô rogô cremari debere crederent, & medio in foro cremarent. Gardenj, Puffendorffii Diplomaticæ Auctorum potius, quâm Cypriani, Antonii, Leonis &c. judicium habendum est?

342. Si discipuli Magistris haud minus temerarii Gardenum Cypriano, Puffendorfium Leoni, diplomaticæ auctores Antonio, & Samosatensibus anteponant, Paulo, & Joanni componere verebuntur. Ità equidem arbitrabar, sed vehementer me de modestia adversiorum opinio fellit. Quod monuit Paulus, ut hæreticos devitemus, sic interpretatus est Johannes Evangelista, ut cum Cerinto hæretorum uno ne aquas corpori à sordibus mundando easdem censeret adhibendas, non susti-

sustineret sub eodem tecto exiguam moram. Isti belli Evangelici legum, Imperii-que civilis, nec non Sacramentorum beneficia hereticis, & Catholicis docent facienda esse communia, adeò ut dissensu circa dogmata non obstante se invicem pro membris ejusdem Ecclesiæ particularis habeant, ad eandem sacram cœnam, quæ primaria velut tessera concordiæ inter Christianos habetur, omnibus pateat aditus pag. 24. Jus feciale. Nihilo leviorem, nec certam minus ab hæresi, quam à peste perniciem creari ædibus, urbib⁹, provinciis consilium Pauli, exemplum Joannis apertissimum faciunt, dum hæresi contactorum, nihilo secus, ac contagioso, & immedicabili veneno laborantium consortia cavere jubet ille, diligētissimè cavet iste. Cōtrà si dissidētes quoad Religionem eo invicem modo a- gant, ac si nullum dissidij foret, maximè idoneum impendentibus malis prohiben- dis paratum iri medium ajunt cum Puffen- dorffio novi Theologi.

343. Gamalielis exemplo inquis, à Luca, quin à DEO per Lucam probato,
jd

id faciunt; Lactantiū, Tertullianū habēt cō-
 sentientes. Quid? falleris vehemēter amice.
 Erat conspicua Apostolorū vitæ austeras,
 morū præcipua sanctimonia. Nīl in Deū Isra-
 ēlis, nīl in quemquā verbo, aut opere attentā-
 runt? Quæ multò antea Prophetæ præsa-
 gierunt, & à Judæis eventura certò crede-
 bantur, confecta ad amissim, vaticiniis
 eventus respondisse, asseverabant confir-
 mantibus sermonem signis adeò luculen-
 tè, ut exploratum esset Gamalieli certissi-
 ma tradi; alii sat causæ haberent, si non
 credendi, profectò dubitandi, num non ve-
 ra tradant. Hinc, quam tractabant, cau-
 sæ gravitas exposcebat, ne quisquam in-
 tercedat dictionibus docentium; adstrin-
 gebat obligatio curandi salutem animarum,
 ut positis præjudiciis Judæi præbeant lo-
 quentibus aures, dum patescat certius ve-
 ra an falsa annūtiēt. Poterat Gamaliel doctrinā
 eorū sanā, ac divinā edicere, sapienti consilio
 tamen non edixit, ne imeritā flagrantes irā,
 efficiat innocuis iratores. Maluit monere
 finite illos si est ex hominibus &c. id est
 ne quemquam injuriis divixeritis,

ne ab expositione doctrinæ prohibueritis,
donec tempus clarior aperiat DEO, an a-
lio auctore doceant.

344. Hortabatur itaque Judæos, ne
committerent, quod sinè scelere commit-
ti nequiit. At sectarii exigunt, ut ipsis ma-
gis, quam pastoribus nostris de fide, de
moribus, de scripturis credamus. Sva-
dent ut pro lupa nobis sit ea Ecclesia, cui
antea honos erat tanquam Domini Spon-
sæ, DEI hæreditati, matri fidelium. Co-
lumnam, & firmamentum veritatis nar-
rant fædè collapsum, quod freti verbo Chri-
sti fore semper immobile et jam adversùs
portas inferi credidimus. Sapientes, &
sanctos superiorum temporum haud esse
asseditos sensum sacrarum literarum; Lu-
therum, Calvijnum &c. demum hunc pro-
bè discrevisse; nullas gentes à sexto seculo
fuisse genuinè Christo initias; permu-
tasse non deseruisse unquam Idololatriam;
vitiatæ superstitionibus Religionis causâ
Myriades Martyrum majora viribus huma-
nis toleravisse, perniciosis erroribus de
DEO, de moribus inauditâ inter crucjatus
for-

fortitudine testimonium dedisse asseverant. Leviora sunt hæc, paulò majora canamus: DEUM auctorem scelerum faciunt: DEI Matrem prophanis mulierculis, amicos sceleratis exæquant, aras evertunt: veteres heros de templis jure novarum Religionum ejiciunt &c. Hæc auctoritate DEI ab se fieri: cælitus destinatos esse muneri novam sectam importandi mundo: vera, sancta docere, quo argumento probant? Notas & insignia, unde tales citra errorem dignoscantur, requirimus.

345. Moysen, Christum, Apostolos è splendidis miraculis, vitæ austerritate, morum exquisita sanctimonia missos à DEO Magistros, legislatores, orbis agnoscit. Age ubi Lutheranorum, ubi Calvinianorum, ubi Unitariorum miracula, vitæ austertas, morum sanctimonia &c.? Cùm nec his, nec aliis firment arrogatam auctoritatem, tam inusitatæ, ita à fide, à ratione alienæ doctrinæ nullo pacto fidem faciant, cur operiamur tempus, ut doceat, quo spiritu ad tradenda tam paradoxa prosiluerint, dum nihil est causa,

ſæ, ut vel levem in animum admittamus dubitationem, num non remotissima à vero spargant. E quid igitur desiderant, ut ſecum haud aliter agamus, ac Gamaliel agendum cum Apostolis censuit, dum ipſi Apostolis ſunt diſsimillimi, imò ſumme adverſi? In eventibus diſsimilibus, in ſe ſe pugnantibus eodem conſilio ſtulti an ſapientes utendum rectè arbitrantur?

346. Nec Laetantius, nec Tertullianus à ſectariis ſtant. Laetantio cum gentilibus ſermo erat ſupplicia adhibentibus, ut pertrahantur Christiani ad obſcenas ceremonias, nullas rationes edentibus cur id honeste & ſalutariter fieri queat, ne fordes ac impietas vaniſſimorum ſuperstitiōnum pateſcat, neve, ut ibidem loquitur Laetantius, ab aniculis, quas contemnunt, & à pueris noſratibus error illorum ac ſtutitia rideatur. Tertulliano, ſi animi ſui inductionem aliis inspirasset, nullus fo- ret diplomaticæ auctoribus, ac adiaphoris magis infensus. Adversus Gnosticos in Scro- piaco c. 2. n. 15. ait. ad officium hereticos compelli non inlici dignum eſt. Duritia vin- cent

cenda est, non suadenda. Ne i[n]instinctione
iræ tam severam pronuntiâsse videatur sen-
tentiam, atque ut patescat tum æquitas
latæ sententiæ, tum quomodo ad officium
compelli hæreticos, quanta severitate duri-
tiam vinci oportere significet, leges à DEO
sancitas in corruptores disciplinæ Judaicæ
recitat, & inter cæteras hanc: *Si rogaverit
te frater tuus, aut filius, aut filia, aut
mulier, quæ in gremio tuo est, aut amicus,
qui animæ tuæ pars est dicens, eamus & ser-
viamus Deis aliis. Non parcet oculus tuus
super eum, manus tuæ erunt in primis ad oc-
cidendum, & manus omnis populi in novis-
simis, & lapidabitis illum.* Væ Adiapho-
ris, væ Puffendorffio, Gardeno, Diplomati-
cæ auctoribus si hoc consilio Tertulliani, hac
lege veteris testamenti agatur in hæreticos!

347. Quid ergo significatum voluit
Lactantius, quid Tertullianus cùm scri-
psit: *Religio cogi non potest, verbis poti-
us, quam verberibus res agenda est.* Nec
Religionis est cogere Religionem. Natura-
lis potestatis est unicuique, quod putaverit
colere? Si id Diplomaticæ consarcinatores

quæsissent, dum censuram Cleri Hungariæ, & Theologorum: patrocinium item novarum Religionum gravi cum supercilie sibi sumerent, temperâssent à contumeliis, quibus clerum aspersere. Ajo summa capitjs allegati: *de insania eorum, qui Deos colunt, & non audent ratione contendere cum fidelibus*, quid Lactantius: recitata ex Scorpiano sententia, quid Tertullianus sentiat, manifestum faciunt: nimirum sicut pro insanis habendos esse nemo nescit, qui nulla ratione, solâ voluntate adhærent quibusvis sacris, itâ vehementer in eo desipere innuunt, quòd sperent prudentes aliqua arte ad eadem pertrahi posse, citra omnem rationem; item docent, quòd sacrorum causâ cum gentilibus certare rationibus præclarum sit; vim iis facere, si nulli præterea sint injurijs, nefas sit.

348. At gentilium, & hæreticorum, quod jus sacrorum attinet longè diversa est conditio. Gentiles nunquam in jus, ac potestatem Ecclesiæ transiverunt: sunt foris: *de iis autem, qui foris sunt judicare* nulla potestas est Ecclesiæ, *i. ad Corinth 5.*

¶. 12. Hæretici vel ipsi ab Ecclesia descivere, vel descendentibus parentibus successere, & utroque casu, cùm in familiam Christi per Baptisma cooptarentur tacitō pactō datam Ecclesiæ fidem, impiè violant. Etenim sive infantes, sive adulti, dum salutaribus aquis initiantur Christo, legem ac doctrinam Christi profiteri, tuerique, in Ecclesiæ potestate fore se tacito jure jurando spondent, & ad pœnas, si fidem fallant, ab Ecclesia infligendas offerunt. Dum postmodum peculiaribus nominibus fidei professio, ac jurata obedientia erga Ecclesiam ab ipsis exigitur, non tam novis se adstringunt vinculis Ecclesiæ, aut primò Sacramentum jurant, quam editum, pridē tacitè juramentum, & datam fidem declarant. Neque enim esset idoneus Baptismo, qui liberum sibi esse vellet, tum Christi, tum contrariam quamlibet doctrinam post Baptismum, quando sic genio arrideret, tueri; aut cogi ad officium nollet à quoquam, si à proposito Christianæ doctrinæ tuendæ per scelus deflecteret, eamque oppugnaret. Certè sic animo com-

paratum nemo sinè scelere salutaribus a-
quis tingere posset, quantumcunque tingi
efflagitaret.

349. Date Gentilem. Civis sancto-
rum per Baptismum effici ambiat: Christi
doctrinam profiteri, lege vivere sincerè
spondeat: contestetur autem neutquam
se assentiri, ut coērceatur, castigeturque,
si mutatā per scelus mente (quod ut avertat
DEUS, ardenter deprecatur) legem Christi
eversam, exterminatāmque vellet, Ecclesi-
am calumniaretur, ritus susceptos maledic-
tis incesseret. Quæro ex adversariis num
cathecumenos huic similes Baptismo di-
gnos censeant? Ego sanè sinè scelere ad-
mitti posse à quoquam in Ecclesiam, qui
extare veram Christi Ecclesiam putat, nego.
Negabunt opinor etiam adversarii; & id-
circo à prudentibus collaudabuntur. Nam
si quis in Ungaria, vel Dacia jura Indige-
næ adipisci procerum favore niteretur, ac
protestaretur, se à magistratu provincia-
rum judicari nolle, etiamsi ad evertendum
Regnum, ad conculkandas leges, ad for-
mam Republicæ convellendam cum ho-

stibus

stibus conspiraret: nolle à perficiendo, quod constituit scelere, impediri: non à vicario principis consilio, aut ab ipso principe ferendis sententiis parere, aut plectri, etiamsi in Leges Regni delinquit. Quis nō rideret? quis non hominum stultissimos arbitraretur proceres, si tali candidato jura Patriæ impertirentur?

350. Quorsum ego hæc satīs liquet, nimirum: veram Christi Ecclesiam (talem non ajo jam Romanam; nec Calvinianam, aut Lutheranam nego) Christi inquam Ecclesiam, in quam ceremoniā Baptismatis mortales adleguntur habere ex jurata adlectorum promissione, ex inito cum magistratibus Ecclesiæ pacto facultatem amplissimam prohibendi ne quid profiteantur adversus legem, ac doctrinam Ecclesiæ, in quam adlecti sunt, & credunt esse veram Ecclesiam Christi; puniendi ceu reos violatæ fidei, si quid temere profiteri ausint.

351. Hac potestate dum veræ Ecclesiæ magistratus licentiam credendi quidvis prohibet legibus, & minis, castigatque

non obtemperantes, injurius nulli est, iustam nulli quiritandi causam offert. Si quis nihilominus nullo loco leges, & minas ducentium quod lubet credens quiritetur se cohiberi, ac castigari, haud secus agit, ac in civitate, vel Regno non habitâ ratione patriæ disciplinæ, & projectâ magistratum reverentiâ quidvis audendi licentiam arrogans, & jura dictis, factisque convellens, si officii monitus neget esse cuiquam in civitate, vel Regno potestatem viaculis adstringendæ suæ libertatis; vim factum iuri naturali, ac divino, si nihilominus adstringatur, aut castigetur. Qui defensionem hominis tam impudentis serio susciperet, nonne is in hostibus civitatis, aut stultishabendus esset?

352. Cætum cum Luthero sentientium veram esse Christi Ecclesiam, eorum doctrinam esse Evangelium Iesu Christi adjunt Lutherani, de consentientibus Calvinio, de doctrina ipsorum idem affirmant Calviniiani, de discipulis, & dogmatiis Serveti clamant Unitarii, clamabant olim de suis Adamitæ, Manichæi, & quotquot novam

vam doctrinam invexerunt. Dissident tamen inter se, pugnantia adversis frontibus credunt, alii aliorum disciplinam ceu falso-
mam, & Christi institutioni inimicissi-
mam damnant. Ex quo perspici potest a-
liquos hallucinari: adversari Ecclesiæ, legi
& scitis Christi, queis per baptismum se
submisere: proinde omnibus spem salutis
esse non posse. Hæc ingenuè fatetur Puf-
fendorffius in Jure faciali Pag. 26.

353. Certè apertiùs, quām ut sine
fraude reniti liceat, hinc consequens est:
quisquis sui æqualium cætum veram Chri-
sti Ecclesiam, & eorum doctrinam germanam
Christi doctrinam esse firmiter assen-
titur, debere adversarum partium Christia-
nos intueri ceu adversantes disciplinæ, &
Ecclesiæ Christi, adeoque rebelles, qui o-
mnibus consiliis ad constabiliendas profes-
sas partes susceptis tendant, ut aboleatur di-
sciplina, & dissolvatur Ecclesia Christi. Un-
de si honor, & institutio, si sanguine ac
morte partum regnum, id est Ecclesia Chri-
sti ei curæ est, adversas partes ceu fratres di-
liget, opinionibus autem perniciose er-

rantium indignabitur, idque aget omni studio, ne usquam cum detimento Ecclesiæ, cum labo disciplinæ, cum ignominia Christi in animis mortalium tutæ consistant; summo in pretio, & honore habebit potentiores, ceu institutionum & Ecclesiæ Christi, cuius membra sunt, defensores, si vi adhibita noxios errores, posteaquam à pastribus rationum momentis in lucem protracti sunt, obfirmatis in malo eximere adnitantur.

354. 2dō ex dictis consequens est, quod marginalitas projicias atē porcos, si Sacra menta Ecclesiæ, quam fixum habes esse Ecclesiam Christi, præbeas adversarum partium Christianis, præbes enim genuina, ut putas, Christi Sacramenta hominibus, quos Christi & Ecclesiæ inimicos, adeoque Christi Sacramentorum beneficiis indignos arbitraris. 3tiō. Consequitur si ad Cœnam Domini hos admittas, hostes Domini admittis, adeoque reus es Corporis & Sanginis Domini, quod ad indignam Corporis Domini manducationem hostibus Domini operam commodes. Hinc perinde, ac qui-

manducat hunc panem, & calicem bibit indignè, non dijudicas corpus Domini.

355. Consequitur 4tò. Quisquis adversarum suæ Religioni partium opinioribus fayet, ne extirpentur adjumento est, consentientes ad excindendas insectatur, vel instituta secundùm quæ vivit, & Ecclesiam, cuius civis est, non credit indubitanter esse iustata, & Ecclesiam Christi, vel pensi non habet Christi, an Mahometis disciplinâ vivamus, floreat, an vastetur Ecclesia, pro qua constituenda, firmandaque Christus in primis, innumeri deinde Martyres atrocia perferenda, ac etiam morendum sibi esse putaverunt. Ætatem habent, respondeant Diplomatici, utrum dici, credique de se, de Puffendorffio malint. Alterum dici, credique necessum, utrumque autem fœdissimum est. Revera Religio iis supra civilem gubernationem, rationem statūs neutiquam est. Huic sacra, & profana, æquum & iniquum ancillari volunt. Puffendorffium latinarum literarum, de Svecico in Germania bello historia: politiarum autem artium imperata viro à Sve-

eis legatio ad aulam Cæsaream, extitisse
peritiorem prodit. Diplomaticos tum le-
gum, quas malè consuerunt, cento potius,
quām Historia, tum obscurior etiamdum
volitans fama, nec literis, nec politice ad-
modum tinctos sat clarè indicat. Dum
cum Puffendorffio Theologos ad delibe-
randum de controversis circa fidem quæ-
stionibus idoneos negant, & id muneris a-
liis, sed Theologicâ scientiâ probè subactis
ingeniis demandari cupiunt, haud obscure
cam provinciam ad se pertinere ajunt, The-
ologicâ scientiâ se egregiè instructos ferunt.
Quām id verè, bellèque, schola, unde prodi-
erunt, conjecturam præbet. In hac, velut in-
ter Evangelicos obtinuit, cum ediscentibus
grammaticæ præceptiones puerulis arcana
Theologiae scilicet, ex ore magistrorum ex-
cepere, fiduciâ doctrinæ his condiscipulis
communis intrepidè de Theologis, de divi-
nis rebus sta tuunt. Sed nîl melius imperitij
arrogantiū in luce collocat, quām doctrinæ
isthic discussæ usque adeò manifesta impie-
tas, falsitas, ut prima rationis lux necedum vi-
tiis infuscata, & innocentia puerulorum,

qui

qui talium Theologorum condiscipuli sunt,
sit damnatura ceu nefariam, & à fide, à ra-
tione alienam.

356. Libet ex Diplomaticis quære-
re , siquidem Lactantium Clero Hungariæ
singunt adversantem, quæ in allegato capi-
te 20. scripsit adversus insaniam gentilium
Religionis suæ nullam rationem adferenti-
um, utrùm jure in eos dici nequeant , qui
hos libros potiùs , quàm alios esse divinos;
cum Calvinianis potiùs, quàm cū Lutheranis
textus obscuriores interpretandos cen-
sent , non aliam ob rationem, ac quòd spi-
ritus privatus hos, non illos à DEO ma-
nâsse: non cum Lutheranis, sed cum Cal-
vinianis interpretandos esse, dicitet, id quod
perinde est ac dicere nullam ob rationem,
sed ex arbitrio voluntatis unicè decerno
hos libros divinos, & cū Calvinianis, non
aliter interpretandos esse, *sic volo, sic statuo.*
Stat pro ratione voluntas. Atqui basis fi-
dei Christianæ est ratio , quæ movet ad
creendum DEI verbum esse: hoc, non alio
explicari sensu debere , propter quod credi-
mus. Si infirmâ causâ ad hanc animi in-
du-

ductionem permovearis, firma tibi esse fides nequit. Si nulla permovearis ratione, in os cum Lactantio tibi improperari potest: *inhærens persuasione vulgari libenter erras: stultiæ tuæ faves: te sensibus spoliæ: ratione abdicas.*

357. Adnecto isti capitij Lutheri exemplo omnium hodie errantium patris, Diplomaticos Gamalielis sapienti consilio fæde abuti. Petebatur ex Luthero Wormatiæ, ut per occasionem novi ab ipso annuntiati Evangelii turbato Germaniæ statu promeret aliquid quieti publicæ conducibile. Respondit nihil sibi conducibilius occurrere, quam illud: si est ex hominibus &c. Quā nempe ratione conficeretur, Mahometis etiam superstitionem, atque idolorum cultum esse à Deo, cùm per tot secula nondum dissolvi potuerint. Hist. Trid.

CAPUT XXV.

Amicum Petri Poiret consilium demonstratur esse summa pernicies.

358. **O**bjiciunt 7mō. cum Poiret. Cere moniis, circa quas dissident Christiani

stiani, utendum est, ceu mediis ad conjungendum Deo cor. Si non pravo, sed hoc sancto fine iis utamur, salutem dissidentium non impedit. Malæ in se non sunt. Christianum enim, nisi ultra Paulum sapiat, persuasum esse oportet, in se impurum nihil esse, illi vero qui rem impuram esse arbitratur eandem impuram fore. Opinionem corrigan Christiani, & differentes ceremoniæ bonæ omnibus erunt. Parùm interest secundum quam opinionem, quali ritu anima corpus regat, modo cor Dei sit, aut ad Deum dirigatur, ergo sectarum unicè circa ceremonias discrimen non impedit sectariorum salutem.

Confir. Omnia possibilia sunt credenti. Unde fit, ut qui certa fide credunt in Eucharistia realiter presentem Christum sine pane, aut cum pane, fides illa rata habeatur à Deo efficiente sic presentem. Sin alias credat illic esse solam Christi figuram, sola figura Christi erit praesens. Idem puta de aliis, ergo. Confir. 2dò Peccatum est, quod ex fide non est, ita ex adverso quod est ex fide, peccatum non est. ergo Confir. 3tiò

Qui

Qui credit, quod secundum Dei voluntatem credendum esse arbitratur, non est obnoxius objurgationi propter fidem, credit enim quod reipsa secundum voluntatem Dei credendum est, sed sic omnes sectarii credunt, ergo. prob. maj. Dictamen, quo statuimus, quid credendum, falsum esse nequit, ita nuper Togatus Maros-Vásárheli-ni; ergo.

359. R. ad 7mum. Nego consequ. Sanctum habeo res sensibus perceptibiles suapte natura non esse malas. At vi latarum à legitima potestate legum possunt fieri necessaria virtutum materia, propter quas perferuntur leges, ita ut usus earum, quin ipsa quoque voluntas utendi, ceu repugnans legibus, sit de se mala. Sic comedum, à Protoparentibus ex arbore vitæ pomum, perinde atque alii fructus, fuit ex se innocuum, at post latam, ne comedatur legem, effectum est necessaria abstinentiæ materia, ut nec edi, nec desiderari potuerit sine scelere. Haud dissimili ratione ceremoniæ, aliisque ad externum Dei cultum pertinentia, de se non mala, fiunt necessaria

ria virtutum materia, ut nequeant sinè scele-
re frequentari, quando prohibentur, ne-
gligi quando imperantur. Nequicquam
tunc mutabis de iis opinionem, ut pecca-
tum caveas. Quin concepta temere opi-
nio esse concessum, quod vetatur, aut ve-
titum, quod imperatur, graviore culpanon
vacabit. Quippe nec desiderijs nostris o-
piniones, nec opinionibus leges divinæ,
sed desideria opinionibus, opiniones divi-
nis legibus accommodandæ sunt: secun-
dùm has illa fleetenda, istæ exigendæ. Jam
utì dogmata, sic ceremonias Romanas esse
divinitus imperatas, aut comprobatas, evi-
denter est credibile. Nullius proinde opi-
nionis prætextu excusatur à scelere, qui c-
as negligit, aut damnat.

360. Ad C.N. añs. Fide, út vocant,
miraculorum, quam ex Evangelio allegat
Poiret, non creduntur miraculosa opera,
sed summa potestas, & divinitas Christi.
Ut istius fidei veritas, ac precium elucesce-
ret, ut pluribus persuaderetur, quando ita
libebat, numerosis prodigiis à Christo com-
probabatur, & repetitis hodie dum compro-
bari

bari potest, quoties Christo placet, ut
 comprobetur. Inde ea fide montes quo-
 que transferri posse edixit Christus, quòd
 reipsa transferrentur à Christo, si placeret
 tanto opere comprobari fidem credentium
 parem esse Christo potentiam loco moven-
 dis montibus. Sic cæci Matt. 9. secundùm
 fidem votis potiti restitutâ lucis usurâ, non
 credebant se videre, sed à Christo effici pos-
 se, ut videant. Patet id ex verbis Evangelii
 stæ, sic enim narrat: *secuti sunt eum cæci
 clamantes: miserere nostri fili David.* Et
dicit eis Jesus: creditis quia hoc possum fa-
cere vobis. Dicunt ei: *utique Domine.*
 Tunc tetigit oculos eorum dicens: secundùm
 fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt
 oculi eorum. Patet uberiùs ex historia Le-
 prosi Marci 1, credentis à Christo munda-
 ri se posse, si mundare velit. Sic enim sa-
 nitatem sollicitabat: *Domine, si vis potes*
me mundare: sic roganti annuit Christus:
volo, mundare. Cæcorum fide agnoscit
 Poiret montes transferri potuisse: secun-
 dum eam à Christo beneficia dispensata es-
 se; cur ergo imponere rudibus vult, quamli-
 bet

bet rem credendo quidvis effici ab hominibus posse: solum in Eucharistia Christum sistendum, si solum credant; Christum sistendum cum pane, si credant presentem eam pane; abs futurum autem ab Eucharistia, si non Christum, sed symbolum Christi adesse illic credant; quasi temerariæ hominorum opinioni adstricta foret divina potentia.

361. Nec multa. An Pojret stultus, si Pojretum de mentis potestate exiisse quis constanter credat? An sedabitur ex diuturna inedia fames Pojreti, si cerebellis phasianorum eum laute fartum aestimemus? An is Rex, si Regem exclusâ dubitatione fingam? Si annuit Pojret; quot stulti, tot in Orbe Reges; quot Pojreto discipuli, tot familijæ stultorum capita accrescunt, ei persimilia, qui Gabrieli Vasquez celebre Romæ onotrophium visitanti egregia cum urbanitate, quidquid illic dignum visu erat, inter prolixam, nec absconam sermonationem exhibens, spectandum postremò hominem designavit, quod se Gabrielum Archangelum, legatione ad MARIAM

V. perfunditum haud joco, sed quam maximè seriò diceret, ac crederet, designantis judicio summè stultum, idque ideo, quòd nihil hac de re designanti competum esset, qui tamen sit DEUS Pater legationem ad MARIAM V. imperans.

362. Ad Conf. 2dam. N. A. fieri enim potest, ut fides, quacum operamur, seu conscientia, sit vitiis inquinata. Quod fit ex ipsius præscripto melius, ac ipsa nequit esse. Sordibus peccati infecta nihil præter peccata gignit. Sunt conscientiæ ita compositæ, ut nonnisi sempiternū ad interitum ducant. Nam opinari cum Pojret nos nihil in DEUM, nihil in salutem peccaturos esse, quidquid egerimus, si ex arbitrio voluntatis id rectum, & honestum fingamus; perinde est, ac docere, quòd in alienarum rerum usurparione, in contrectatione uxoris proximi, in polygamia nil sit vitij, dummodo persuasum habeamus nihil furto, nihil adulterio inesse sceleris. Certè etiamsi Protoparentes imaginati fuissent pomiveti perinde, ac aliorum fructuum esui nihil culpæ inesse, haud quam

quam idcirco gula vitio caruisset. Deinde ex hac Pojreti sententia consequens est excusandos esse, aut excusandos credere se posse, quibus Christi religio non arridet, & contra superstitione placet, dummodo illam aspernandam, hanc complectendam esse existiment, quia quod ex fide est, seu quod secundum conscientia dictam fastidiunt, aut amant, peccatum non est, si credimus Pojreto. Consequens ulterius ex illa eadem sententia est damnari non posse immanem, & injustam Ethnicorum, sive Judæorum crudelitatem in Christianos. Quippe his optimū ex animi sententia videbatur persequi Gentem DEO, ut credebant invisam, ipsique DEO se præstare obsequium arbitrabantur, cùm à se dissidentes plecebat. Ità sapienter Lamindus Pritannius.

363. Ad Conf. 3 Nm̄. ad prob. N.
A. Sunt conscientiae mala fidei, conscientiae depravatae, conscientiae, quemadmodum sacræ literæ loquuntur, cauteriatæ. **Cauteriatam habentium conscientiam** 1. Tim. 4. Facile quod genio arridet, rectum videtur, interdum piū etiam, ac religio-

sum existimatur. *Quodcumque volumus, bonum est., & quodcumque placet sanctum est* opinione laborantium pravis desideriis ait August. *Lucerna corporis de qua Lucæ ii.*
est oculus, seu conscientiæ dictamen. Cavendum ne lumen istius lucernæ fiat tenebrae monet Christus, ibidem. Has tenebras imprecatur Isaias C. 6. populo Israëlitico dicens: *excœca cor populi hujus.* At quomodo dictamen conscientiæ in tenebras migrare, quomodo cor populi excœcari potest, si dictamen conscientiæ falsum esse nequeat, & idoneam ab incredulitatis virtio excusationem præbeat, quidquid credamus? Supposito errore inculpabili circa veritates revelatas formari posse dictamen ethicè rectum, quia conforme voluntati paratæ ad flectendum intellectum in obsequium fidei, indubitatum est. At omne dictamen esse prorsus erroris expers, non nisi insanus dixerit. Liquet hinc consilium Poireti, ut opinionem de ceremoniis tot sectarum mutemus, tum prout humanæ utilitates ferent, aspernemur quasdam, complectamur alias, tendere eò, ut *quod-*

cun-

cunque volumus, quodcunque placet, bonum
*sanc*ti*umque arbitremur, adeoq; pacatâ, ac
tranquillâ conscientia obsequamur nefariis
cupiditatibus, cæno flagitorū imersi, vanas
iñocentiae nomine plaudamus, securique si-
mus divinæ justitiae, dū in scelestâ capita vin-
dicem distringit gladium; ut peccemus sine
spe resipiscendi, & in peccatis moriamur.
Unde consequitur, quòd amicum Pojreti
consilium sit morum corruptela, & ad supre-
mam in flagitiis obfirmationem, ad sempit-
ernum interitum præceps via, adeoque
maxima mortalium perniciies.*

364. Placuit tamen nuper alicui in
Dacia adeò, ut salebrosum iter ad pacem reli-
gionum per id æquare, sed frustra tentaret.
Cùm credenti omnia sint possilia, ait re-
ferre nihil, seu præsens, seu absens ab Eu-
charistia corpus Christi credamus, dum-
modo cum desiderio obtinendi Spiritum
Sanctum in memoriam dominicæ passionis
summamus Eucharistiam, sicut satís erat,
ad impetrandam à Christo sanitatem, quòd
crederetur restitui posse, licet quidam æ-
gri ad restituendam putarent, aliij negarent

esse necessariam corpoream Christi præsentiam. Addit quòd caro non prospicit quidquā, fides autem (unde jugulatur) suscipientiū Eucharistiam efficiat totum quod ad fructū ex hoc Sacramento capiendum.

365. Quae ossutiæ? Fides non est ex frivolis rationibus prognata persuasio, sed assensus mysteriis revelatis ob testimonium DEI in obsequium, ac reverentiam infinitæ veracitatis. Manifestum est à DEO revelatum non esse, quòd in Eucharistiâ sit, & non sit Corpus Christi. Restat igitur ut revelatum sit quòd sit, aut quòd non sit in ea Corpus Christi, sed ipsius Symbolum. Hinc pari evidentiâ notum est cum divina fide non accedere ad recipiendam tum eos, qui Eucharistiam credunt excluso Corpore Christi esse illius Symbolum ; tum alios, qui illic verè Corpus Christi venerantur. Id si verum est, quod homo sanæ mentis negare potis non est, quisquis arbitratur Divinæ fidei, quacum recipienda est Eucharistia, totum fructum, à recipientibus capi secundùm promissionem Christi solitum, esse tribuendum, vigilans dicere nequit,

quit, quod ad fructum ex Eucharistia capiendam interesse nihil, seu in eadem Corpus Christi praesens, seu absens credatur, dum recipitur.

366. Neque reddita varijs per Christum sanitas allegatur ad rem. Desiderarunt plures adesse Christum, dum sanitatem desiderarunt. Credidisse unum omnium, quod secus voti damnari nequeat, nisi Christus aegro adsit secundum corpus, nos nescimus; adversarius fidenter asseverat, nullâ ratione probat. Alij contingere fimbriam vestimenti, alij consistere ante oculos Christi contendere, inde tamen consequens haud est, quod ab absente sanari se non posse male arbitrati sint, quemadmodum Centurionem ex eo, quod certum asseveraret, si Christus dicat verbo, satis superque fore, ut sanetur puer, peteretque, ut dicat Math. 6. v. 8. consequens haud est, non credidisse citra verbum editum à Christo sanitati puerum restitui non potuisse. At si probatum dare voluit adversarius, quod asseruit, sic argumentatum esse oportet. Paralyticus per solutas, quae incumbebant conclave, ubi erat Christus, tristes,

bes, sibi Christo voluit, cùm ad sanitatem redire quæsiit. Ergo non credit virtute absentis Christi sanum fieri se posse. Gemina, & arte simillima huic ratiocinatio est: Centurio petebat verbum edi à Christo, dum sanitatem ægro restitutum iri credebat. Ergo nullò editò verbò sanitatem ægris restitui nō posse persuasum habebat. Qui sic ratiocinatur, sanè cote philosophicā; cui imponit anticyrā opus habet. At tam turpiter imponi sibi nūquam patientur non stolidi. Alij statuant, an non sic ratiocinetur, an impone non velit, ut persuadeat nihil referre præsentem in Eucharistia, an absentem credamus Christum, memorans ægros optantes adesse Christum, aliósque contentos, ut diceret verbo, tum utrosque sīnē discrmine sanoseffectos. Adde si qui ægrorum arbitri fuisse nt Christo deesse potestatē absensibus perinde, ac præsentibus reddendæ sanitatis, nā illi gravissimas blasphemiae pœnas prius, quam sanitatem comeruerissent.

F I N I S.



H.

Ioannus Désyán
Anno Domini 1735.
die 27 Iulij donavit
káp

